


3 1761 07830340 1





JOANNIS CARDINALIS SOGLIA

EPISCOPI AUXIMANI ET CINGULANI

INSTITUTIONUM


JURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

TOMUS PRIMUS

COMPLECTENS

PRAENOTIONES IN JUS ECCLESIASTICUM

EDITIO TERTIA AB IPSO AUCTORE RECOGNITA ET AUCTA



D. Antonio M. Antonelli

MUTINAE 1850

PROSTANT MUTINAE ET REGII LEPIDI APUD EDITORES

NICOLAUM ZANICHELLI ET SOC.

STEPHANUM CALDERINI ET SOC.



EX TYPOGRAPHEO MONETI ET SOC.

ALOISIO FERRARIO

EPISCOPO MUTINENSIUM

ET ABBATI NONANTULANORUM

Editores

Quam tacitis apud nos votis jamdiu occasionem exoptabamus nostri erga Te, **Vir Reverendissime et Excellentissime,** *obsequii publico aliquo signo ad posteros mansuro palam faciendi, eam ipse sic praebuisti, ut nisi arriperemus, non tam desiderio quam officio nostro deesse omnino videremur. Suffragio enim et auctoritate tua fuit consilium ejus approbatum qui interpretandas auditoribus Regii Archigymnasii Mutinensis in schola Juris Publici Ecclesiastici Institutiones proponebat quas, ea de re, an-*

no millesimo octingentesimo quadragesimo quarto Laureti iterum evulgaverat, suppresso tamen, ut antea, suo nomine, vir sacrorum canonum scientia praestantissimus, **Ioannes Soglia Cardinalis.** Praeterea, cum earum institutionum nulla amplius exemplaria reperirentur venalia, Ipse per litteras precibus petens impetravisti ab auctore aeque dignitate, aeque humanitate praeclaro, ut opus suum non solum nobis veniam daret edendi; verum etiam accessionibus non parvi momenti locupletaret, pateretur que nomine

suo nunc primum ornatum Mutinae in lucem prodire. Quae cum ita sint, omnes justi rerum aestimatores facile consentient Te, licet minime dedita opera, fecisse ut nos hanc editionem nostram nulli aptius et jure majore, quam tibi dedicare possemus.

Ceterum erant dedicandi quoque aliae causae, eaeque permultae, quarum unam dumtaxat, ne modestia tua laedatur, attingemus, sacram videlicet et profanam, qua polles, eruditionem, cujusque specimen doctor decurialis per plures annos ex cathedra de-

disti, et scriptor eximius utilitati omnium cle-ricorum etiam in aevum prospiciens publi-casti in iis libris qui „ Ethices Christianae Institutiones „ inscribuntur.

Quare a te petimus et oramus, ut hoc, qua-le id cumque est, observantiae in Te nostrae gratique animi pignus benigne excipias, no-bisque nunquam intermittas favere devotis
Excellentiae Tuae Reverendissimae.

PRAENOTIONES

IN JUS ECCLESIASTICUM

PRAEFATIO (*)

Jus Ecclesiasticum, sive Canonicum, sive Sacrum (nam haec verba idem sonant) est complexio earum legum, quibus Ecclesia regitur. Jus Ecclesiasticum ratione *Objecti* dividitur in *Publicum*, et *Privatum*. Cum enim Ecclesia societas sit, quae instar aliarum societatum Magistratu et Populo constat, hinc Jus Publicum complectitur eas leges, quibus divinae hujus societatis, et eorum qui in ea potestatem gerunt, jura et officia determinantur; Jus vero Privatum iis legibus continetur, quae jura et officia Privatorum definiunt.

Veteres Canonistae, in tradendo Jure Canonico, Jus Publicum Ecclesiasticum a Privato non separabant, sed in singulis argumentis ita versabantur, nihil ut praetermitterent eorum, quae ad rem facerent, sive ea ad Jus Publicum, sive ad Privatum pertinerent. Sed postquam Joannes Adamus Ickstatt in opusculo « *De studio Juris ordine atque methodo scientifica instituendo, Inglostadii MDCCXLVII* »; et paulo post Joannes Nepomucenus

(*) Anteposita editioni Lauretanae anni MDCCCXLIV.

Endres in dissertatione « *De necessario Jurisprudentiae naturalis cum ecclesiastica nexu, Wirceburgi MDCCLI* » eam exponendi Juris Canonici rationem ad erudiendos auditores minus aptam praedicarunt, putantes Jus Publicum a Privato in scholis secernendum esse; Antonius Schmidt S. J. eisdem morem gessit, et anno MDCCLXXI Institutiones Juris Publici Ecclesiastici seorsum a Jure Privato edidit, ejusque exemplum nonnulli scriptores secuti sunt.

Id vero non omnibus probatum est. *Cum enim*, scripsit Zechius in Praecognitis Juris Canonici lib. IV, *auditorum nostrorum intersit, utriusque hujus Juris Publici et Privati notitiam simul unaque opera haurire; hinc sicut in ipso corpore Juris materiae istae inter se permistae sunt; ita urgens causa hucusque non apparuit, ut in publicis scholis ab invicem separentur.* Veruntamen contraria sententia vicit, sive quod novarum rerum plerique sunt cupidi, sive quod visum est ad faciliorem uberioremque Juris Publici Ecclesiastici cognitionem id quam maxime conducere. Zallinger in Prolegomenis ad Institutiones Juris Ecclesiastici cap. 8 fatetur, se vel invitum in hanc sententiam adductum esse ea de causa; *quia*, inquit, *non pauci extitere, qui obtentu emendandae methodi rem ipsam in pejus mutarunt, Sacrumque Jus corruperunt locis plurimis: idcirco necessitatem mihi ante annos decem impositam credidi, ut Publicam Jurisprudentiae Canonicae partem a Privato Jure, in quo praelegendo versabar maxime, segregatam ederem; ut hac etiam parte nihil deesset iis, qui ingenio atque otio abundarent, cum Juri Sacro dant operam.*

Quibus de causis Summus Pontifex Leo XII Constitutione edita *Quod divina Sapientia*, qua rationem studiorum in tota ditione ecclesiastica moderatus est, peculiarem cathedram Institutionum Juris Publici Ecclesiastici in magnis Lyceis Romano et Bononiensi constituit.

Qua Constitutione promulgata, cum animadvertissem Italorum extitisse neminem, qui Juris Publici Ecclesiastici Institutiones in scholarum usum edidisset, huic operi manus admovere coepi, et has Institutiones, videlicet prima Juris Publici Ecclesiastici elementa conscripsi, et sunt veluti pars dogmatica Juris Canonici, eaque nuper edidi in gratiam adolescentium, qui in Auximano Ven. Seminario et Nobili Collegio Campana instituuntur.

Nunc earumdem Institutionum haec altera editio in lucem prodit multis in locis aucta, eaque in tres libros distributa, quorum

I. De Statu Ecclesiae.

II. De Ecclesiae Rectoribus.


III. De Personis et Rebus potestati Ecclesiae subjectis.

Veruntamen operae pretium duxi de Jure Canonico generatim, de Fontibus ejusdem Juris, deque Sacrorum Canonum Collectionibus notiones aliquas praeponere, quibus ad haec studia rite colenda tironum mentes imbui et praeparari omnino debent.

Cum in hoc opus incumberem, mihi semper versata sunt ante oculos ea verba Justiniani Inst. de J. et J. §. 2: *Jura ita videntur posse tradi commodissime, si primo levi ac simplici via, post deinde diligentissima atque*

exactissima interpretatione singula tradantur: alioquin si statim ab initio rudem adhuc, et infirmum animum studiosi multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore, saepe etiam cum diffidentia, quae plerumque juvenes avertit, serius ad id perducemus, ad quod leniore via ductus, sine magno labore, et sine ulla diffidentia maturius perduci potuisset.

Auximi IV Nonas Octobres An. MDCCCXLIV.



PRAENOTIONES
IN JUS CANONICUM

Caput I.

DE JURE CANONICO GENERATIM

§. 1.

DE NOMINE JURIS CANONICI

Canon graeca vox est, quae proprie denotat normam, seu regulam, qua lineae in mechanicis artibus diriguntur. At Scriptorum usu ea vox translata est ad regulas morum, legesque significandas; quamobrem L. 1 ff. de legib. generatim lex definitur *Canon seu regula justi et injusti*. Modestum hoc Canonis nomen Ecclesia quoque adoptavit, ut fidei, morum, et disciplinae leges significaret; quin et Apostolus ipse non semel in eadem significatione nomen Canonis usurpavit. Hinc factum est, ut libri veteris novique testamenti, qui divinitus datas credendi agendique regulas continent, *Canonici* dicti sint; et Ecclesiae Constitutiones, quibus fidei morumque regulae explicantur, vel novae disciplinae leges conduntur, universim *Canones* audierunt. Et quamquam apud Scri-

ptores invaluerit, ut solae disciplinae regulae Canones vocarentur, Tridentina tamen Synodus antiquum morem sequuta, suas fidei definitiones nomine Canonum insignivit. Cum igitur fidei, morum, et disciplinae regulae, quibus christiani homines ad aeternam salutem diriguntur, peculiari quadam ratione Canones nuncupentur, merito jus illud, quo hae regulae continentur, Jus Canonicum dictum est.

§. 2.

DE JURIS CANONICI DEFINITIONE ET OBJECTO

Itaque Jus Canonicum definiri potest *Complexio canonum sive legum fidem, mores, et disciplinam spectantium, quae ab ecclesiastica potestate christianis vel praescriptae, vel propositae sunt.* In primis itaque Jus Canonicum definitur *Collectio canonum sive legum*, quod est loco generis, et commune cum aliis juribus; ita jus civile, vel municipale est collectio legum, quas Civitates sibi constituerunt. Additum est *canonum SIVE LEGUM* ad rem uberius explanandam, ut videlicet significaretur, canones non meras regulas esse, quarum vis omnis in suadendo, et monendo posita sit, sed leges proprie dictas, quibus oportet obtemperare. Praeterea dictum est *fidem, mores, et disciplinam spectantium*, ex quo intelligitur, tria haec objectum esse, in quo Jus Canonicum versatur. Omnes quippe canones aut de dogmatibus fidei, aut de morum praeceptis, aut de legibus disciplinae conscripti sunt.

Sequitur *quae ab ecclesiastica potestate*, quibus ex verbis discimus, quemadmodum Jus Canonicum non solum ratione objecti, verum etiam ratione potestatis, unde manat, ab aliis juribus differat. Illud enim vero ab Ecclesia conditum est, scilicet ab iis, qui jus imperandi in Ecclesia ab ipso Christo acceperunt. Quam sane ob causam dici consuevit tum Jus *Ecclesiasticum*, videlicet ab Ecclesiae Rectoribus constitutum, tum etiam Jus *Pontificium*, quod canones bene multi a Summis Pontificibus Primatum Ecclesiae gerentibus sanciti sunt. Per illud verbum *christianis* Juris Canonici subjectum designatur. Soli etenim christiani Ecclesiastico Juri subjiciuntur, quatenus per baptismi Sacramentum in Ecclesiae societatem recepti, ejus partes et membra evaserunt. *Quid mihi*, inquit Apostolus 1 Cor. c. 5, v. 12, *de iis, qui foris sunt, judicare?* Igitur Judaei, Gentiles, et Turcae legibus mere ecclesiasticis non ligantur, quia nomen christianae militiae non dederunt; at obligantur haeretici, schismatici, excommunicati, et apostatae, propterea quod character Sacramenti, quo insigniti sunt, et obligationes characteri adnexae his criminibus non delentur.

Denique posteriora haec verba *vel praescriptae, vel propositae sunt* addenda duximus, eo quod earum legum, quibus Jus Canonicum constat, alias Ecclesia praescribit, alias tantummodo proponit. Prioris generis illae sunt, quas ecclesiastica potestas pro ratione locorum, temporum, et personarum condit, quas ut praescribere, sic etiam mutare, et abrogare potest, quae leges ecclesiasticae *positivae* dici solent. Alterius generis sunt, quae a jure

naturali, aut divino promanant; Ecclesia vero auctoritate sua proponit, vel explicat. Ita Constitutiones de rebus fidei et morum, quamquam ecclesiasticae nominentur, propterea quod ab ecclesiastica auctoritate propositae, et addita etiam poena sancitae fuerint, nihilo tamen secius ad jus naturale et divinum earum origo referenda est, manentque perpetuae, et stabiles; qua de re infra dicendum erit.

§. 3.

DE DISCRIMINE THEOLOGIAM INTER ET JUS CANONICUM

Fidei morumque tractatio tum ad dogmaticam, et moralem Theologiam, tum ad Jus Canonicum pertinet. Veruntamen res aliter a Theologia, aliter ab Ecclesiastico Jure spectatur. Namque Theologia dogmatica de fide, rebusque divinis universim disserit, ut statuat regulam credendi, atque hinc studium omne et operam collocat in demonstrando quid contra fidem pugnet, quantum et quatenus opinio quaevis sanae et catholicae doctrinae congruat, vel adversetur. At Jus Canonicum res fidei respicit, ut ex eis agendi regulam hauriat, cum multae sint disciplinae leges, quae a fidei regulis ita pendent, ut credendi regula regulam agendi constituat. Ad mores autem quod attinet, *Theologia moralis*, ait Schwarz in Inst. Jur. pub. univ. instr. 1 §. 3, *motivo generali bonitatis atque malitiae, versatur circa virtutes omnes, ac vitia: spectat primario, ac praecipue forum internum,*

et tractat actiones quaslibet sive respectum habeant ad Civitatem, sive non. Sed Jus Canonicum rationem habet officiorum, quae in ecclesiastica societate praestanda sunt, ut fideles pie honesteque conversentur; et idcirco respicit fideles ratione habita ad communitatem ecclesiasticam, forumque externum maxime intuetur. Praeterea Canones, recte observante Gersonio in Recommendatione Licentiandorum in Decreto, *non sunt nisi conclusiones ex principiis theologicis, id est ex Evangelio, et aliis libris canonicis elicitae vel illatae, vel etiam determinationes loci, temporis, modi, quo jus divinum observandum praescribitur.*

Denique Jus Canonicum divinis legibus sive fidem, sive morem spectantibus addit ecclesiasticas leges, sive poenas, quibus improbi homines in officio contineantur: qua de causa extant tituli de haeresi, de apostasia, de simonia, de adulterio, de perjurio, de furtis et similibus. Uno verbo Theologia tota est in rebus fidei et morum universim investigandis, illustrandis, et propugnandis; Jus Canonicum in iis custodiendis, propagandis, et in usum actumque perducendis: quamobrem jure merito a Boetio, et Alvaro Pelagio Theologia rectrix et practica nuncupatur.

§. 4.

DE DISCRIMINE INTER JUS CIVILE ATQUE JUS CANONICUM, ET HUJUS PRAESTANTIA

Tria sunt, quibus utrumque Jus inter se differt, videlicet *origo, objectum,* et *finis.* Primo quidem differt *ori-*

gine; namque, ut inquit Zallinger de Jure naturae publico lib. III cap. VI §. 223, *Origo imperii civilis est a Deo ut auctore naturae, neque naturae ordinem, ac limites transcendit: origo imperii ecclesiastici a Deo est ut collatore gratiae supernaturalis, proindeque longe altioris ordinis, quam ut cum ulla re temporali in comparationem venire, aut pretio comparari possit.* Differt *objecto*, propterea quod jus ecclesiasticum spiritualia et sacra moderatur; civile politica et temporalia. Differt denique *fine*, quia jus ecclesiasticum aeternam hominum beatitudinem praecipue spectat; civile vero temporalem tantummodo felicitatem. Ex qua triplici differentia proditur etiam triplex causa, quamobrem Jus Canonicum longe multumque juri civili antecellit. Igitur Jus Canonicum excellit **1.°** ratione potestatis unde manat. Praeclare Fortun. Garcia de ultimo fine utriusq. jur. num. 72: *Prima est excellentia causae efficientis; nam Summus Pontifex majorem habet jurisdictionem, et excellentiorem quam ipse Imperator. Itaque dignitas supremi Pontificis est multo clarior et eminentior dignitate Imperatoris, quod a Deo super omnem animam constitutus est, unde idem etiam Imperator ei subjicitur. At constat, quod leges superiorum digniores sint legibus inferiorum.* **2.°** ratione objecti: *Tanto altiores*, eleganter scripsit Baldus lib. 1 consil. 464, *sunt Canones, quanto caeli sunt altiores terra, quia tantum distant Canones a legibus mundi, quantum perpetuum a corruptibili, et sacra a profanis.* 3.° denique ratione finis, quod *haec duo jura*, ut verbis utar laudati Garcia cit. oper. num. 19, *se habent ut*

anima et corpus, cum jus civile intendat in commune bonum, secundum quod convenit humanae societati; jus vero canonicum non solum secundum quod convenit humanae societati civiliter, sed etiam secundum finem in Deum intendendo, et aliam vitam expectando.

Attamen nemo putet, se plurimum posse in canonica jurisprudentia proficere et valere, nisi civilis juris studio operam quoque dederit. Nam utraque haec jura inter se nexa, copulataque sunt, ut alterum alteri auxilium praestet; quamobrem Lucius III cap. 1 de nov. oper. nunc.: *Sicut*, inquit, *leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur.*

§. 5.

DE JURIS CANONICI AMPLITUDINE ET NECESSITATE

Juris Canonici amplitudo ex magnitudine, et copia rerum, de quibus agit, comprobatur. Triplex est ipsius objectum, videlicet *personae, res*, et *judicia.* Primum itaque agentibus de personis, sese objicit universa hierarchia ecclesiastica secundum gradus suos, a Pontifice usque ad infimum gradum clericorum, tum saecularium, tum regularium, horum dignitates, officia, munera, jura, dotes, modi acquirendi praelaturas, easque amittendi. Ad alterum objectum, quod de rebus est, pertinent Sacramenta, vestes, et vasa sacra, ritus et caeremoniae, templa, cappellae, monasteria, et domus religiosae, coemeteria,

bona ecclesiastica, decimae, dotes Ecclesiarum, et hujusmodi, atque horum omnium privilegia, immunitates, et administrationes. Ad tertium denique objectum, in quo de judiciis tractatio est, spectant ea omnia, quae de potestate ecclesiastica tum judiciaria, tum coercitiva, de foro competenti, de norma exercendorum judiciorum, itemque de delictis, et criminibus, deque poenis, et censuris ecclesiasticis disputari possunt. Igitur jus canonicum objecto suo amplissimum est, et varietate rerum jucundissimum.

At vero Juris canonici scientia necessaria est primo quidem clericis. Hi enim juris discendi necessitate adstricti sunt, tum ratione praecepti, tum ratione muneris clericalis. *Nulli Sacerdotum liceat canones ignorare*, edixit Caelestinus Pontifex epist. 3 cap. 1, compluresque sunt ecclesiasticae leges, quibus clerici jubentur canonum sibi scientiam comparare. Deinde ratione muneris debent perspectos habere canones, *praesertim in iis, quae ad munera sua rite praestanda necessaria sunt, ut aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina*, ut habemus ex Concilio Toletano III can. 23. Deinde ne laicis quidem, potissimum illis, qui causas dicunt aut judicant, sacrorum canonum scientia negligenda est, propterea quod tanta est utriusque juris connexio, ut in negotiis et causis civilibus, ubi alterum jus aut nihil, aut obscure admodum aliquid constituit, per alterum jus explicari, et suppleri debeat. Praeterea multae sunt leges in jure civili a sacris canonibus emendatae, quas nec advocatis laicis fas est ignorare. Denique omnes, qui in

foro versantur, agendorum judiciorum rationem, quam sacri canones tradiderunt, cognitam habere debent, quae utpote planior et simplicior, communi omnium Tribunalium usu recepta est.

§. 6.

DE JURE ECCLESIASTICO PUBLICO ET PRIVATO

Quid est societas hominum sine imperio? Est corpus sine commissuris, sine nervis, sine ullis conjunctionibus, sine vinculis, sine capite, quod nec stare, nec percipi ullo modo potest. Igitur ad constituendam, conservandamque societatem necessaria est auctoritas Magistratus, qui praesit, qui regat, qui stabiliat leges, qui controversias dirimat, qui castiget improbos, qui tueatur bonos, omnesque in officio contineat.

At vero Magistratuum definita sunt jura, et officia secundum naturam, formam, et finem societatis, et secundum leges, quas Juris publici Scriptores vulgo *fundamentales* appellant. Ea vero jura, et officia *publica* dicuntur, propterea quod communem alicujus populi aut civitatis utilitatem spectant, eorumque jurium et officiorum complexus *Jus publicum* vocatur. Quapropter Scriptores in hoc jure tradendo primum agunt de structura et constitutione societatis, deinceps de singulis juribus et officiis eorum, qui imperium in ea gerunt.

Jam vero Ecclesia societas est ab ipso Christo constituta, quae Magistratu et populo constat, ideoque in ea sunt qui regunt et imperant, et qui reguntur et parent.

Est igitur Jus quoque publicum ecclesiasticum, sunt Magistratui ecclesiastico sua jura et officia, et proinde jus istud ita definiri solet: *Jus publicum ecclesiasticum est, quod totius Ecclesiae, ejusque Rectorum jura et officia determinat.* Itaque Canonistae tractationem Juris publici ecclesiastici ita assumunt, ut primo edisserant de divina Ecclesiae origine et fundatione, de potestate divinitus eidem tradita, de Rectoribus ab ipso Christo constitutis, deque rebus eorum potestati subjectis; deinde transeunt ad explananda eorumdem Rectorum jura et officia, eaque aptis argumentis confirmanda. Hujus vero sacrae societatis tabulae, sive leges fundamentales sunt Sacra Scriptura, et Traditio, utriusque vero interpres Ecclesia est, quam audire omnino debemus.

Sed jam de Jure privato dicendum est. Ut illi, qui Magistratum non gerunt, *privatae personae* vel *privati* dicuntur, sic jura quibus in societate fruuntur, et officia quae praestare debent, *privata* vocantur, ex iisque Jus privatum conficitur. Id pariter in Jure canonico receptum est, et Jus privatum ecclesiasticum definitur: *complexio earum legum, quibus christiani populi jura et officia determinantur.*

Justinianus §. ult.Instit. de Just. et Jur. ait: *Hujus studii duae sunt positiones, publicum et privatum. Publicum jus est, quod ad statum rei romanae spectat; privatum quod ad singulorum utilitatem pertinet. Dicendum est igitur de jure privato.* Itaque animadvertit Franciscus Schmier de Jurisp. publ. Imp. Romano-germanici Sect. 1 §. 1: *Justinianus Jus civile Romanorum ditsiviin publicum et privatum, et relicto publico, privatum dum-*

taxat tractavit; quo satis ostendit jus unum sine altero consistere, atque adeo haec membra dividentia veras esse species Jurisprudentiae civilis, nec unam ad alterius integritatem necessario desiderari posse.... Utraque ergo cum objectum separatum habeat, et unaquaeque speciali *difficultate circumsepta sit, est separata scientia separatim a Jurisperitis discutienda.*

Verum ad id uberius explicandum, in quo Jus Ecclesiasticum publicum et privatum differunt inter se, accomodata videtur ea Juris divisio in constituens et constitutum: *quam apud quosdam Auctores praesertim veteres legimus. Jus* constituens *vocant* jus constituendarum legum, *Jus vero constitutum ipsas* leges constitutas. *Qua posita partitione Juris, dicimus nihil aliud esse Jus publicum Ecclesiasticum, quam Jus constituens, quandoquidem de hoc uno in Jure publico disseritur, scilicet quae quantaque Ecclesiae sit constituendi leges, imperandique potestas: neque itidem quidquam aliud esse Jus privatum quam Jus constitutum, quatenus jus privatum versatur in recensendis, illustrandisque Canonibus sive legibus, quas Ecclesia constituit. Uno verbo, Jus publicum Ecclesiasticum tradit quid Ecclesia possit constituere; Jus vero privatum quid Ecclesia constituerit.*

§. 7.

DE JURISPRUDENTIA ECCLESIASTICA

Cum omnes ferme leges, egregie dixit Zallwein in princ. jur. eccl. tom. 1 q. 2 cap. 3, *sint regulae generales, et impossibile sit legem ferre ita claram, quae nulla egeat interpretatione, aut ita universalem, ut ad omnes casus in sacris occurrentes, quos nullus Legislator praevidere potest, applicari et extendi valeat, opus erit quadam prudentia, qua mediante leges non solum recte intelligantur, sed et ad actiones hominum sapienter ap-*

plicentur, et ad casus in legibus non expressos justa interpretatione extendantur. Haec itaque prudentia explicandi applicandique juris solet jurisprudentia vocari, atque adeo definiri: *Facultas sive habitus ecclesiasticas leges interpretandi, easque rite ad occurrentes casus applicandi.* Itaque jurisprudentiae ecclesiasticae duae sunt veluti partes, quarum una leges ecclesiasticas scienter interpretatur, altera easdem leges ad facta, sive ut vulgo ajunt, *ad casus obvenientes applicat.* Prima jurisprudentiae pars, quae in rectam interpretationem legum incumbit, ardua est, multarumque rerum peritiam postulat; altera pars quae in applicandis legibus versatur, expedita et facilis est, statim ac ex apta legis interpretatione mens Legislatoris comperta fuerit.

Igitur interpretatio est *alicujus legis obscurae vel ambiguae explanatio;* hinc Cicero lib. 1 de div. ait: *quia erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitae sunt interpretum.* Recta vero hujusmodi legum interpretatio ex verbis et probabilibus conjecturis eruenda est. Quod pertinet ad verba, isthaec accipienda sunt in significatione propria, et usitata; sic enim putandum est a Legislatore adhibita fuisse, ut facile ab omnibus intelligerentur. Sed ratio temporum habenda est, quandoquidem sunt aliqua vocabula, quae antiquis temporibus aliud significabant, aliud modo significant. Exemplo esse possunt isthaec vocabula: *dioecesis, parochia, viaticum,* et alia, quorum antiquae significationes in alias mutatae sunt. Vim et potestatem hujusmodi verborum, habita ratione temporum, explicarunt Albaspinaeus, Balutius, Carolus Fresnius, aliique.

Conjecturis autem ad percipiendam Legislatoris mentem opus est, si verba sint flexiloqua, non connexa, involuta, aut si partes orationis sibi invicem repugnare videantur. Tum enim occasio, sive ratio, ob quam lex condita fuit, et adjuncta personarum, locorum, ac temporum investiganda sunt, ex quibus lux aliqua effulgebit, ut possimus in mentem Legislatoris, sensumque legis penetrare.

Verum de his non attinet plura dicere, atque ad rem nostram satis erit haec, quae sequuntur, adnotare.

Quadruplex interpretatio legis est, *authentica, usualis, judicialis*, et *doctrinalis*.

Authentica est, quae fit a Legislatore, vel ejus Successore, et authentica apud Jurisconsultos dicitur, quia indubitatam et legitimam auctoritatem habet. Haec enim interpretatio instar legis retinenda est, eo quod ab ipso Legislatore proficiscitur, ab eaque recedere licet nemini.

Usualis est legis dubiae per usum, sive consuetudinem facta interpretatio. Consuetudo enim, ex cap. *Dilectus* 8 de consuet., *optima est legum interpres*: et ex leg. 37 ff. de legib.: *Si de interpretatione legis quaeratur, in primis inspiciendum est, quo jure civitas retro in hujusmodi casibus usa est. Optima enim legum interpres consuetudo*; et leg. 38 ff. eod. edicitur: *In ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem, vim legis obtinere.* Tridentina Synodus sess. 24 cap. 1 de refor. matrim. decrevit, irritum, nullumque matrimonium fore, quod ubicumque decretum illud publicatum esset, *aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de*

ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus contraheretur. Decretum singulari modo nominat Parochum; sed cum duo esse Parochi possint, alter sponsi, et alter sponsae, dubitatum est, quisnam Parochus adhibendus, sponsine, an sponsae, an utriusque. Itaque opus erat interpretatione. Jam vero alterutrum Parochum rite adhiberi consuetudo interpretata est; namque coram Parocho sive sponsi, sive sponsae celebrari matrimonia coepta sunt, eaque rata et legitima haberi; quam deinde interpretationem decreta Apostolicae Sedis approbaverunt. Sed postquam consuetudo legitime praescripta est, interpretatio non eget Legislatoris approbatione, et loco legis est, siquidem utriusque juris auctoritate nititur.

Interpretatio *judicialis* est, quae fit a judice, dum in ferenda sententia jus allegat, illudque interpretatur. Sed hujusmodi interpretatio perinde ac sententia, et res judicata inter solos litigantes jus facit, aliis vero nec nocet, nec prodest l. 2 Cod. *quibus res judicata non noceat*, et c. 17 de sent. et re judicat., nisi causae sint connexae; quibus de rebus late disserunt Doctores ad titulum Decretalium *de sententia et re judicata.*

Doctrinalis denique interpretatio est, quae fit a Jurisperitis, aliisque viris doctis, qui legibus canonibusque interpretandis operam navant. Horum interpretationes tantum valent, quantum probant rationes et argumenta, quae ab ipsis afferuntur, et aliter sentire integrum est unicuique.

Pius IV. in sua Constitutione *Benedictus Deus* omnia,

quae a Tridentina Synodo acta, statuta, et definita fuerant, confirmavit, et simul gravissimas poenas constituit in eos, *qui ausi fuissent ullos commentarios, glossas, adnotationes, scholia, ullumque omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere.* Deinde animadvertens, ut ipse ait, *parum esse jura condere, nisi sint qui ea executioni demandari faciant,* alia Constitutione edita *Alias nonnullas,* octo Cardinales delegit, qui sedulam navarent operam, ut Concilii Tridentini decreta ab omnibus, ad quos pertinerent, accuratissime servarentur. Hinc ortum habuit *Congregatio*, quae primum dicta est *Cardinalium Concilii Tridentini,* eique Sixtus V. Constitutione *Immensa* potestatem insuper fecit ejusdem Concilii *Decreta de reformatione* interpretandi, *Nobis tamen consultis,* ut Pontifex ibidem ait, ita scilicet ut de quacumque interpretatione Romanus Pontifex consuli omnino deberet. Tunc itaque *Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum* vocari coepta est, ejusque vero interpretationes, et responsa *Declarationes* appellantur.

Canonistae disputant quaenam hujusmodi Declarationibus vis et auctoritas tribuenda sit? Qua de re in primis videndum est, utrum Declaratio ad privatam quaestionem, sive litem dirimendam, an vero ad dubiam legem generatim interpretandam edita fuerit. Namque Cardinales in ea Congregatione vel privatorum causas judicant, vel leges generatim interpretantur.

Jam vero Declarationes, quibus privatorum lites, et controversiae dirimuntur, quamquam ob singularem Car-

dinalium prudentiam atque doctrinam plurimi faciendae sint, non videntur tamen eam vim habere, ut inferiores judices adigant ad idem in similibus causis judicandum, tum quia Cardinales non interpretum, sed judicum personam agunt, judices vero inter solos litigatores jus faciunt, tum quia in privatis quaestionibus peculiaria facti adjuncta saepius in causa sunt, cur ita judicetur. Quapropter Cardinalis De Luca in Annotat. Concil. Trid. disc. 1 num. 11 ait, *erroneum esse in particularibus Declarationibus cum consueta caeca fide vim constituere, cum illae, quae singulos, vel particulares concernunt casus, ex eorum particulari qualitate, et circumstantiis manare soleant, ideoque alteri diversas circumstantias habenti non semper sunt applicabiles, cum diversimode ob diversam facti qualitatem saepius decernere congruat.*

Declarationes vero, quae ab eadem Congregatione eduntur, quaeque proprie in legum interpretatione versantur, authenticas et legitimas esse affirmamus. Authentica enim et legitima interpretatio est, quae fit a Legislatore, vel ab alio ex ipsius Legislatoris auctoritate. Jam vero interpretationes Congregationis Concilii hujusmodi auctoritate nituntur. Siquidem Trid. Synodus sess. 25 *de recipiendis et observandis Decretis Concilii* ait, se confidere, difficultates et dubitationes omnes, quae occurrerint, per Romanum Pontificem sublatum iri, *commodiore quacumque ratione ei visum fuerit.* Romani vero Pontifices istud munus interpretandi decreta, quae ad disciplinam, morumque formationem pertinent, eidem Congregationi detulerunt. Ejus ergo Congregationis interpretationes authen-

ticae et legitimae sunt. Quin immo cum fiant consulto Pontifice, sunt profecto ipsius Pontificis propriae; namque, ut ait Imperator l. 1 C. de veter. jur. enucleand., *omnia nostra facimus, quibus nostram impertimur auctoritatem.*

Quae quidem Declarationes ut vim habeant, solemni promulgatione non egent, quia jus novum non constituunt, sed jam constitutum interpretantur; *quam interpretationem*, sunt verba Auth. de muliere raptum passa §. fin. collat. 9, *non in futuris tantummodo casibus, verum in praeteritis etiam valere sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuisset a Nobis.*

Aliqui Canonistae, inter quos Van Espen p. 1 *Jur. Eccl. univ. tit.* 22 *cap.* 5, et Gibert *Prolegomenorum in corpus Juris Canonici per regulas ordine naturali digesti parte priore tit.* 23 contendunt, Declarationes Congregationis Concilii, aliarumque Congregationum Cardinalium mere doctrinales esse, non legitimas, non authenticas, neque proinde ullam vim legis habere, quorum argumenta refellit P. Rupprecht *in Notis historicis in universum Jus Canonicum tit.* 2 *de Constitut. cap.* 7. Vide etiam Fagnanum in cap. *Quoniam* num. 6 et seqq. de Constit.

§. 8.

DE CANONUM DIVISIONE

Canones in duas classes dividi vulgo solent; in prima classe *dogmatici*, in altera *disciplinares* recensentur:

omnis quippe christianorum vita duabus regulis, nimirum credendi regula, et regula agendi continetur; ac proinde credendi regula a canonibus dogmaticis, a disciplinaribus autem agendi regula exhibetur. Veruntamen cum de regula agendi sermo est, qui distincte atque explicate loquuntur, canones morum a canonibus disciplinae separant, atque adeo, quemadmodum triplex est juris canonici objectum, nempe fides, mores, et disciplina, quod superiori capite docuimus, sic quoque canones trifariam dividunt, videlicet in canones *fidei*, in canones *morum*, in canones *disciplinae*. Operae pretium est de his tribus canonum speciebus aliquid enucleate dicere; namque cognitio naturae, atque indolis singulorum canonum non modo valde juvat, sed necessaria omnino est ad ea dilucide recteque percipienda, quae universim de vi et auctoritate canonum dicenda sunt.

§. 9.

DE CANONIBUS FIDEI

Canones Fidei sunt, in quibus aliquid credendum proponitur. Itaque ipsorum objectum est veritas aliqua divinitus revelata, quam fideles debent firmiter credere et profiteri. Plures hujus generis canones a priscis Juris Canonici collectoribus congesti sunt, eosque Gratianus sequutus est, ac proinde quae catholica fides de unitate Dei, et Personarum trinitate, de Dei praescientia et praedestinatione, de Angelorum et hominum creatione, de primi hominis lapsu, de Christo unico mediatore, de Sacramentis et eorum effectibus, de auctoritate et infal-

libitate S. Scripturae, de unitate Ecclesiae, de Primatu Romani Pontificis, de animarum immortalitate et corporum resurrectione, de aeternae vitae praemiis et suppliciis, haec inquam aliaque id genus multa in suum Decretum inseruit. At vero non omnes canones, in quibus veritas aliqua enunciatur, continuo dogmatici habendi sunt; dogmaticos enim dicimus, qui catholicae fidei regulam sive dogmata tradunt, omnesque fideles ad credendum ita obstringunt, ut haereticus sit, qui constanter firmiterque non assentiatur. Duo igitur desiderantur, ut canon dogmaticus habeatur. Primum est divina revelatio, ut nimirum quod canone docetur, in verbo Dei sive scripto, sive tradito contineatur, cum fides catholica auctoritati solius Dei innitatur. Alterum est Ecclesiae propositio, ut videlicet illud ipsum, quod canone docetur, tum Ecclesia proposuerit, tum etiam jusserit ab omnibus et singulis fidelibus pro veritate catholica teneri. Ad rem Melchior Canus de locis theol. lib. 5 cap. 5 quaest. 4: *Summorum Pontificum, Conciliorumque doctrina si toti Ecclesiae proponatur, si cum obligatione etiam credendi proponatur, tum vero de fidei causa judicium est.*

§. 10.

DE NOTIS CANONUM DOGMATICORUM

Veronius in regula fidei catholicae §. 2 rem eamdem exponens ita loquitur: *Duo debent conjunctim adesse, quo doctrina aliqua sit fidei caholicae, alterum ut sit revelata a Deo per Prophetas, Apostolos, seu Auctores*

canonicos, alterum ut sit proposita ab Ecclesia. Si utrumque adsit alicui doctrinae, illa fide divina catholica est credenda: si alterum desit, seu revelatio, seu propositio Ecclesiae, non est fide divina catholica credenda. Sed secundum adesse non potest, quin primum reperiatur; quia cum Christus Ecclesiae promiserit assistentiam Spiritus S., qui doceat eam ducatque in omnem veritatem, haec numquam, stante Dei promissione, quae semper obtinet, docet aliquid esse revelatum, quod non sit revelatum. Igitur ad canonem dogmaticum internoscendum, non opus est ut inquiramus, an doctrina canonis divinitus revelata sit, sed satis si compertum habeamus, doctrinam canonis ab Ecclesia tamquam fidei dogma propositam esse.

At vero canones quandoque de rebus fidei aliquid affirmant, aut negant, quin satis appareat, utrum ea simplex sit aut affirmatio aut negatio, an vera dogmatis fidei propositio. Igitur necesse est aliquas regulas in promptu habere, quibus simplex affirmatio aut negatio a certa dogmatis propositione secernere, et internoscere possimus.

Quatuor hujusmodi regulas Melchior Canus cit. loc. exhibuit, quas Theologi et Canonistae summa consensione amplexi sunt. Eas Canus profert hisce verbis;

Prima, et ea quidem manifesta, si contrarium asserentes pro haereticis judicentur. Cujus rei exempla habes cap. DAMNAMUS *de Sum. Trin. et cap. unic. de Sum. Trin. in* 6, et Clement. unic. de sum. Trin. §. 1.

Altera nota est, cum in hanc formam Synodus decreta praescribit: SI QUIS HOC AUT ILLUD SENSERIT, ANATHEMA SIT: *qualia permulta sunt in Concilio Toletano I. et in Synodo Tridentina.*

Tertia est, si in eos qui contradixerint, excommunicationis sententia ipso jure feratur. Exemplum est de haereticis cap. CUM CHRISTUS, *et cap.* AD ABOLENDAM.

Quarta est, si quidquam, aut expresse et proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tamquam dogma fidei catholicae accipiendum dicatur, vel aliis similibus verbis aliquid esse Evangelio, doctrinaeve Apostolorum contrarium. Dicatur, inquam, non ex opinione, sed certo et firmo decreto.

§. 11.

DE EXPOSITIONE EARUMDEM NOTARUM

Sed operae pretium est easdem regulas breviter explanare. Itaque prima regula admodum perspicua est: ubi enim canones volunt, eos qui contra senserint, pro haereticis haberi, nullum dubium relinquitur, quin dogmatici censeri debeant. Profecto fieri non potest, quin canones dogmatici sint, quibus turpis haeresis nota adversus dissentientes inusta est, quandoquidem nemo potest haereticus esse, nisi qui catholico dogmati contradixerit.

Secunda et tertia regula hoc modo intelligi debent, nempe canones, in quibus anathema, vel excommunicationis poena in dissentientes constituta est, tum denique dogmaticos esse, si in eis de rebus fidei agatur; quandoquidem etiam canones, qui ad fidem non pertinent, eadem excommunicationis poena vel anathemate sanciri solent. Ita canones Concilii Romani sub Gregorio II. lati sunt in hunc modum: *Si quis commatrem spiritualem duxerit in*

conjugio, anathema sit: si quis consobrinam suam duxerit in conjugio, anathema sit.

Denique quarta regula eos canones spectat, in quibus etiamsi agatur de rebus fidei, nulla tamen inusta est haeresis nota, nec anathema, nec poena excommunicationis constituta adversus eos, qui dissenserint. Itaque hi canones dogmatici erunt, si talibus verbis propositi sint, quae non opinionem, sed certum exploratumque judicium exhibeant. *Licet enim opinio Durandi,* ait Melchior Canus cit. loc., *reprobetur cap. GAUDEMUS DE DIVORTIIS, sed qui dixit: VERUM ABSONUM HOC VIDETUR, ET INIMICUM FIDEI CHRISTIANAE: noluit haereseos illos condemnare. Verbum enim VIDETUR judiciorum infirmat certitudinem. Praeterea,* auctore eodem Cano, *etiamsi verba canonis absoluta sint, planeque et omnino quidquam affirment vel negent, adhuc tamen ipsius canonis scopus investigandus est, ut certo intelligamus, an doctrina canonis simpliciter asseratur, an etiam ceu fidei dogma proponatur. Nuda enim verba corticem canonis repraesentant; scopus autem ipius naturam atque indolem manifestat. Igitur constitutio ecclesiastica, sive canon dogmaticus erit, si certum expoloratumque sit, data opera conditum fuisse, ut amputatis dissensionibus catholica veritas doceretur, vel ut haereses obortae supremo judicio damnarentur.*

Porro autem quae in Conciliorum aut Pontificum decretis vel explicandi gratia inducuntur, vel ut objectioni respondeatur, vel etiam obiter et in transcursu praeter institutum praecipuum, de quo erat potissimum controver-

sia, ea non pertinent ad fidem, hoc est non sunt catholicae fidei judicia. Hactenus Melchior Canus.

§. 12.

DE CANONIBUS MORUM

Quemadmodum dogmatici canones regulam eorum statuunt, quae firmiter in rebus fidei tenenda sunt, ita canones morum ea spectant, quae in humanis actibus propter se honesta sunt, vel turpia, adeoque vel agenda, vel omittenda. Versantur itaque in proponendis explicandisque praeceptis naturalibus, quibus mores hominum informantur. Plures ejus generis canones in Decreto Gratiani legimus, plures etiam in titulis Decretalium, quales sunt de pactis, de jurejurando, de homicidio, de adulteriis, de furtis, de usuris, de injuriis aliisque id genus, quibus moralia praecepta illustrantur. Haec autem morum praecepta a naturali lumine profecta, per legem evangelicam integra sui perfectione et complemento donata sunt; nam Christus Jesus non venit solvere legem, sed adimplere: quamobrem Gratianus in princ. dist. 1 scribere non dubitavit, *Jus naturale in Evangelio contineri.*

At vero Ecclesia in tradendis canonibus morum errare non potest. Namque Christus pollicitus est, *Spiritum Sanctum docturum Ecclesiam omnem veritatem,* quae scilicet esset ad consequendam salutem necessaria. Atqui ad eam consequendam necessariae sunt non modo veritates fidei, sed etiam morum: igitur fieri non potest, ut Ecclesia errando id doceat vel praescribat quod turpe est, vel reprobet quod honestum est.

Itaque canones morum, cum quidquid jubent, bonum sit per sese, et quidquid prohibent, malum et turpe sit, perpetuo firmi stabilesque manent, eisque ab omnibus omnium ordinum, et omnium temporum, atque aetatum, et locorum hominibus parendum est.

§. 13.

DE CANONIBUS ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE

Jam dictum est, et dicendum est saepius, tria esse canonum genera; alii enim sunt canones fidei, alii morum, alii denique disciplinae, quoniam potestas Petro, Apostolis, eorumque Successoribus a Christo tradita haec tria complectitur, fidem, mores, et disciplinam. Ergo canones, qui neque ad fidem, neque ad mores pertinent, ad disciplinam pertinebunt.

At vero disciplinae canones ad puritatem fidei, honestatem morum, divinique cultus sanctitatem tuendam feruntur, quos proinde firmissimum fidei, morum, et religionis praesidium et propugnaculum jure dixeris. Namque hujusmodi canones versantur

1.° In tutela fidei et morum, quatenus gravissimas poenas constituunt in eos, qui in fide vel moribus deliquerint. Huc pertinent censurae, aliaeque poenae ecclesiasticae adversus haereticos, simoniacos, sortilegos, homicidas, adulteros et hujusmodi.

2.° In determinandis praeceptis divinis et naturalibus; dum scilicet tempus aut modum ad ea observanda praefiniunt, quotiescumque nec modus, nec tempus in praece-

pto fuerit praefinitum; cujus generis sunt canones de observantia diei dominicae, de confessione, et communione paschali.

3.° In regenda societate ecclesiastica; neque enim omnia, quae ad eam gubernandam opus erant, jus naturale et divinum constituerunt; proindeque Antistitibus Ecclesiae tradita a Christo fuit ferendarum legum potestas. Hinc canones de electionibus, de institutionibus, de vita et honestate clericorum, de judiciis, deque ceteris similibus.


Haec autem tria, quae indicavimus, disciplinae capita, ad *disciplinam externam*, sive ad *politiam Ecclesiae* pertinere dicuntur; ea sunt enim, quibus regitur externa Ecclesiae societas, et in officio continetur.

Sed aliud est disciplinae genus, quam *disciplinam liturgicam* vocant, eaque in ordinandis religionis actibus versatur. Hujus generis sunt canones de administratione Sacramentorum, de diebus festis, de publicis precibus et supplicationibus, de locis sacris et religiosis, deque sacris ritibus et caeremoniis.

Aliqui tertium addunt disciplinae genus, quam dicunt disciplinam *dogmaticam*, et *dogmati adnexam*. *Dogmaticam* vocant, quae originem suam ipsi Christo acceptam refert; uti materia et forma Sacramentorum, itemque forma ecclesiastici regiminis, sive ecclesiastica hierarchia divinitus instituta. *Adnexam* vero *dogmati* appellant, quae cum dogmate ita connectitur, ut aboleri nequeat, quin simul de veritate dogmatis detrahatur. Talis est disciplina, qua sanctissimam Eucharistiam colimus et venera-

mur; ea siquidem tolli nequit sine maxima catholici dogmatis injuria.

Verum disciplina, quae *dogmatica* dicitur, proprie ad Jus divinum pertinet, quod prorsus est immutabile; *adnexa* vero *dogmati*, firma immotaque et ipsa manere debet, sed tantum in eo, quod ejus substantiam attingit; quod enim ad modum attinet, an ex. gr. unica, an trina flexione genuum Eucharistia veneranda sit, ad Ecclesiam spectat cognoscere et decernere.



CAPUT II.

DE FONTIBUS JURIS CANONICI

§. 14.

DE FONTIUM JURIS CANONICI DEFINITIONE ET NUMERO

Fons proprie locus est, ex quo aliquid fluit; et quemadmodum omnia jura ab aliquo legislatore fluunt, sic etiam quot sunt vel fuerunt in Ecclesia legislatores, tot Juris ecclesiastici fontes habendi erunt. Quatuor igitur sunt ecclesiastici Juris fontes, quandoquidem quatuor legum ecclesiasticarum latores agnoscimus, neque plures, neque pauciores, nempe Christus Jesus ipsius Ecclesiae fundator et legislator, dein Apostoli potestate ab ipso Christo accepta, tum Summi Pontifices, denique Episcopi in Conciliis congregati.

At vero Canonistae latiori sensu *fontes* appellant ea loca, in quibus Jus ipsum invenitur, propterea quod et jura, et juris momenta, argumentaque et rationes ab his locis veluti fontibus hauriantur. Sicut igitur ea, quae Christus Dominus docuit et praecepit, quaeve Apostoli tradiderunt, in Sacra Scriptura vel Traditione servantur; quae vero a Summis Pontificibus, aut ab Episcopis sancita sunt, in Constitutionibus Summorum Pontificum et in Canonibus Conciliorum generalium continentur, sic quatuor numerant ecclesiastici Juris fontes, nempe *S.*

Scripturam, Traditionem, Constitutiones Summorum Pontificum, et *Canones Conciliorum generalium.*

Praeterea aliquibus placet hisce quatuor fontibus tres alios adjicere, nempe *Jus naturale, Scripta Sanctorum Patrum*, et *Jus civile*, siquidem ex iis etiam argumenta sumuntur, quae in Jure Canonico auctoritatem habent.

Nos de omnibus illis fontibus, nequid praetermittere videamur, deque singulorum usu et auctoritate dicturi sumus: eos enim compertos exploratosque habere valde iis proderit, qui volunt in hac facultate proficere.



DE SACRA SCRIPTURA

§. 15.

DE LIBRIS SACRARUM SCRIPTURARUM

Generalis Sacrae Scripturae divisio est in *vetus* et *novum Testamentum*. Vetus eos complectitur libros, qui ad legem a Moyse promulgatam, et ad Judaeorum Synagogam spectant. Novum autem eos continet, qui ad legem Christi Domini, atque ad Ecclesiam pertinent.

Ecclesia Catholica septuaginta duos libros pro Sacris et Divinis recipit, videlicet quadraginta quinque veteris, et viginti septem novi Testamenti, quos Tridentina Synodus recenset omnes nominatim sess. IV in decreto de Canonicis Scripturis, ita subjiciens: *Siquis autem libros*

ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro Sacris et Canonicis non susceperit, anathema sit. Deinde declarat et statuit, *ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.*

§. 16.

DE USU ET AUCTORITATE VETERIS TESTAMENTI IN JURE CANONICO

Vetus Testameutum tribus praeceptorum generibus constat, *moralibus, caeremonialibus, et judicialibus.* Certum vero exploratumque est *praecepta moralia* in veteri Testamento tradita semper vigere, quoniam praecepta sunt ipsius juris naturalis prorsus immutabilia, quae proinde Christus non sustulit, sed clarius evolvit confirmavitque. Praecepta vero *caeremonialia,* quae divinum cultum, sacrificia, sacrosque ritus moderabantur, quo etiam spectabant ea, quae ad publicum Synagogae statum, ejusque Sacerdotium pertinebant; et *judicialia* quae civilem Hebraeorum politiam constituebant, jam irrita facta sunt: caeremonialia quidem, quando Sacerdotium translatum est, et novum Testamentum morte Testatoris obsignatum; judicialia vero, postquam respublica Hebraeorum sine ulla restitutionis spe omnino desiit.

Quae cum ita se habeant, videndum est, num ex abrogatis veteris Testamenti praeceptis caeremonialibus et judicialibus, argumentum in canonica jurisprudentia validum atque efficax sumi possit; nam quod attinet ad praecepta moralia, nemo certe dubitat, quin ex eis argumenta firmissima ducantur.

Jam vero cum utrumque Testamentum inter se nexum jugatumque sit, tum quia alterum alterius umbra et simulacrum fuit, tum quia alterum alteri suffectum est, Canonistae sine ulla controversia sentiunt, argumenta ex veteri Testamento deprompta non parum valere ad multa ecclesiasticae jurisprudentiae capita illustranda, et amplius confirmanda. Sed praesertim ex statu publico Synagogae, ejusque Sacerdotio ad statum Ecclesiae, nostrumque Sacerdotium potest argumentum duci; quandoquidem Sancti Patres hoc argumento saepius usi sunt. Sic pro dignitate Levitarum et Sacerdotum novae legis argumentatur S. Leo M. serm. 8 passion. Dom. cap. 8, sic pro continentia Clericorum, sacroque caelibatu S. Hieronymus contra Jovinian. lib. 1 num. 34, sic alii Patres, et passim S. Cyprianus in suis epistolis. Itaque dogma de distinctione inter Clericos et Laicos ex Lege veteri mirifice confirmatur instituto argumento a pari, ut ajunt, vel etiam a fortiori; quare Schmetterer Introduct. in Jus Can. diss. II cap. 2 §. 37: *Si eadem, inquit, aut major ratio adhuc pugnat pro Lege nova, quam obtinuit pro Testamento veteri, bene ab hoc ad illam argumentaberis.* Sic etiam in quaestionibus explicandis solvendisque, recte utimur Testamento veteri. *Si quae sunt quaestiones con-*

troversae, ait Zallwein de Princ. Jurisprud. Eccles. tom. I quaest. 2 cap. 2, *quae nec ex Scriptura nec ex Traditione decidi possunt, et una ex sententiis controversis habeat pro se ingentem probabilitatem, haud inepte, licet non convincenter, ex antiquo ad novum argumentaberis Testamentum, si eadem vel major pugnet ratio. Et hinc argumentum, quo Catholici a privilegio fori et immunitatis Sacerdotibus in antiqua Lege competente, ad Clericorum immunitatem in Lege nova argumentantur, inter Catholicos non est ineptum, non tamen convincens.*

Veruntamen non ex omnibus, quae in veteri Testamento scripta sunt, licet argumenta promere. Enimvero quaedam in eo sunt, quae consummato Christi morte humanae redemptionis mysterio ita interciderunt, ut sine peccato usurpari amplius nequeant; quaedam etiam non praescripta, neque imperata, sed tantummodo permissa aut tolerata, quaedam denique solius gentis illius regimini consentanea fuerunt. Horum itaque nullus usus, nulla auctoritas est in Jure Canonico, nec esse potest. His igitur omissis, ex reliquis veteris Testamenti locis argumenta petenda erunt. Ex quibus insuper Ecclesia Apostolorum vestigiis insistens, ex praeceptis caeremonialibus nonnullos ritus adoptavit, qui divino cultui plus decoris afferunt, cujusmodi sunt templorum dedicatio, sacrae vestes, thus, lampades, cantus, et alia ejusdem generis; ex judicialibus vero deprompsit cap. I de homicidio, cap. I et II de adulterio et stupro, cap. I de furtis, cap. I. II. III. IV. et V. de injuriis, et hujusmodi alia. Si quis vero, quod Protestantes faciunt, aliquem Hebraeorum ritum, vel aliud

disciplinae caput, quod Ecclesia accepit, tamquam superstitiosum, iniquum, aut malum irrideat et condemnet, auctoritate ipsius Testamenti veteris falsa criminatio facile propulsabitur, cum Deus Hebraeorum genti praescribere nihil potuerit, quod malum esset, aut aliquam superstitionem vel impietatem contineret.

Porro Judaeorum leges in corpus Juris Canonici receptae, et, ut ajunt, canonizatae, non tamquam leges divinae, sed tamquam leges ecclesiasticae, sive auctoritate ecclesiastica receptae confirmataeque habendae sunt: nam, ut optime scripsit Zallwein tom. I Princip. Jur. Eccles., *leges istae non habent vim obligandi vi institutionis divinae, quae cessavit, sed vi auctoritatis Ecclesiae eas libere adoptantis*: et proinde Ecclesia potest easdem relaxare, atque etiam penitus abrogare.

Diximus *Ecclesiam posse eas leges relaxare*. Hoc loco tirones monendi sunt, quotiescumque in sacris canonibus legerint *Ecclesiam posse-Ecclesiam potuisse*, nomine Ecclesiae non totam fidelium congregationem intelligi, sed tantummodo Ecclesiae Pastores et Rectores, quibus solis omnis ecclesiastica potestas tributa fuit. Hac significatione Ecclesiae nomen usurpatum est ab ipso Christo, dum Matth. cap. XVIII inquit: *Si eos non audierit, dic Ecclesiae;* quae verba explicans S. Joannes Chrysostomus ait: *Dic Ecclesiae, idest Ecclesiae Praelatis.* Eodem sensu saepe adhibitum est a Concilio Tridentino, veluti cum sess. XXIV can. 4 ait: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, anathema sit.*

§. 17.

DE USU ET AUCTORITATE NOVI TESTAMENTI

Juris Ecclesiastici et publici et privati, fons primus et praecipuus est novum Testamentum: *Sane*, inquit Zallinger in Inst. Jur. Eccl. cap. V, *quae ad Jus Ecclesiasticum publicum pertinent, de fundatione Ecclesiae, de institutione potestatis hierarchicae, de sacro imperio Apostolis atque in primis S. Petro a Christo collato, de gesto ab iisdem imperio circa res omnes ad Religionem, et Ecclesiae gubernationem spectantes..... ea omnia ex S. Scripturis novi Testamenti luculenter sumuntur. Et de jure privato vix tractari quidquam potest, quin idem ex Sacris Litteris erui, confirmari, et illustrari queat.*

At vero videndum est quis usus, quantaque sit vis et pondus argumentorum, quae ex novo Testamento depromuntur. Qua super re distinguendus inprimis est duplex S. Litterarum sensus, nempe *litteralis*, et *mysticus*. Sensus litteralis est, quem verba ipsa ex usitato loquendi modo praeferunt, sive *proprie*, sive *metaphorice* accipiantur. Diximus sive *proprie*, sive *metaphorice* accipiantur, quandoquidem scriptores sacri sine ulla controversia tenent, sensum verborum sive naturalem, sive metaphoricum, ad sensum litteralem revocandum esse, quatenus metaphorae *sub notione*, ut ajunt, *imaginaria* satis aperte indicant, quid vere proprieque significare voluerint. Itaque cum Christus Joan. X ait, *alias habeo oves, quas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor*, perspicuum est nomine *ovium* eos intelligi, qui ad Ecclesiam

adducendi erant, et nomine *ovilis* Ecclesiam ipsam designari.

Sensus mysticus seu spiritualis est, cum verba praeter litteralem sensum, quem habent, ad aliud quidpiam significandum adhibentur. Sensus vero mysticus in *allegoricum, analogicum*, et *tropologicum* dividitur, de quibus late disputant Theologi.

Jam vero quamquam viri docti ac pii, praesertim ad fidei morumque praecepta illustranda, S. Scripturarum sensibus spiritualibus et mysticis utantur; *certae tamen auctoritatis argumenta habenda non sunt, praeterquam illa, quae ex litterali Scripturae sensu ducuntur.* Ratio manifesta est, quam affert Bellarminus lib. III de Verbo Dei cap. 3: *Convenit*, inquit, *inter nos et adversarios ex solo litterali sensu peti debere argumenta efficacia. Nam eum sensum, qui ex verbis immediate colligitur, certum est sensum esse Spiritus Sancti; at sensus mystici et spirituales varii sunt, et licet aedificent, cum non sunt contra fidem et bonos mores, tamen non semper constat an sint a Spiritu Sancto intenti.*

Quia vero S. Scripturarum sensus non ita semper apertus est, ut cuivis legenti pateat, hinc ante oculos perpetuo constituendum est id, quod maxima sapientia et aequitate Tridentina Synodus decrevit sess. IV: *Nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, S. Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum San-*

ctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.

Summum igitur judicium de vero divinae Scripturae sensu penes Ecclesiam est; nomine vero Ecclesiae non modo Fidelium omnium concio intelligitur, verum etiam generale Concilium et Apostolica Sedes: qua de re legendus est Melchior Canus *de Locis theologicis lib.* 12 *cap.* 6. Praeterea nemini licet contra eum sensum, quem Patres omnes concordissime constantissimeque tenuerunt, Sacras litteras interpretari. Verum quae sit, quantaque Sanctorum Patrum auctoritas in Sacrarum litterarum intelligentia, dicemus infra §. 42.

§. 18.

DE DIVINIS ET APOSTOLICIS INSTITUTIS

Evangelia nonnisi doctrinam ipsius Christi continent, sed reliqui novi Testamenti libri praecepta tum divina, tum apostolica complectuntur. Haec praeceptorum divisio apertissime significata est a S. Paulo ep. I ad Corinth. 7 v. 10 dum ait: *Praecipio non ego, sed Dominus;* et v. 12: *Ego dico, non Dominus.*

Jam vero praecepta novae Legis, quae Christus in Evangelio tradidit, aut quae Apostoli caelitus afflati proposuerunt, cum vere et proprie divina sint, nulli nec derogationi nec abrogationi obnoxia sunt, sed perpetua et inviolata manere debent. At vero praecepta, quae Apostoli tamquam Rectores Ecclesiarum ediderunt, quamquam in S. litteris contineantur, cum tamen proprie humana et ecclesiastica sint, haec ab Ecclesia sive a Summo

Pontifice possunt, ut reliquae ecclesiasticae leges, immutari, relaxari, atque etiam contrariis legibus vel moribus abrogari. Hinc intelligi potest, cur factum sit, ut electionum sacrarum forma, abstinentia a sanguine et suffocato, agapae, mulierum in templis velationes, aliaque plura Apostolorum instituta, vel sensim deleta, vel alii ritus moresque in eorum locum substituti. Sic etiam Pontifices ex. gr. in aliquibus irregularitatibus dispensant, quamvis quae sunt de irregularitatibus constitutae leges ex epistolis S. Pauli potissimum proficiscantur. Sed Episcopi eadem apostolica instituta immutandi aut relaxandi potestate omnino carent; quandoquidem apostolica instituta ad generalem Ecclesiae disciplinam pertinent.

Si vero regula certa petatur, qua instituta divina ab apostolicis internosci possint, haec generatim tenenda est, nimirum, *quae in epistolis et reliquis Apostolorum libris continentur, omnia et singula pro divinis habenda sunt, nisi ex verbis, aut ex subjecta materia luculenter appareat, eadem ab Apostolis tamquam Ecclesiarum Rectoribus profecta esse.* Primum itaque verba consideranda sunt, ut videamus, an Apostolus suo, an Christi nomine locutus sit. Si nihil certum ex verbis cognosci possit, tunc subjecta materia spectari debet: *si* enim *quod traditur ad fidem vel mores pertineat, vel ejusmodi sit, ut humanam potestatem superet, veluti Sacramentorum institutio, divinum erit et immutabile; si vero ad disciplinam spectet, non temere apostolicum institutum esse dixeris.*

DE TRADITIONIBUS

§. 19.

DE DIVINIS ET HUMANIS TRADITIONIBUS

Alter Juris sacri fons est Traditio, quo nomine intelligitur doctrina seu institutio non scripta, sed verbis tradita. *Vocatur autem doctrina non scripta,* ait Bellarminus de Verbo Dei non scripto cap. 2, *non quia nusquam scripta sit, sed quia non est scripta a primo auctore. Exemplo sit baptismus parvulorum. Parvulos baptizandos, vocatur traditio apostolica non scripta, quia non invenitur hoc scriptum in ullo apostolico libro, tametsi scriptum est in libris fere omnium Patrum.*

Traditiones vero *divinae* sunt, vel *humanae.* Illae Deum auctorem habent, *quae,* ut docet Tridentina Synodus sess. IV in decr. de S. Script. *ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt.* Humanae sunt, quae ab ipsis Apostolis, aut ab eorum Successoribus originem duxere; et proinde in *apostolicas,* et *ecclesiasticas* dividuntur. Inter divinas et humanas traditiones sunt qui traditiones *divino-apostolicas* interjiciunt. Qua in re sibi videntur Concilii Tridentini decretum sequi, in quo traditiones *oretenus a Christo acceptae* distinguuntur ab iis, quas *Spiritus Sanctus Apostolis dictavit.* Verum hujus generis traditiones, divinae, non humanae dicendae sunt.

Veras, probatasque traditiones in Ecclesia esse, tum divinas, tum humanas certum est. Et quidem traditionibus apostolicis et ecclesiasticis Protestantes ipsi non magnopere adversantur, cum quisque facile intelligat, prima Ecclesiae aetate fieri prorsus debuisse, ut multa de sacris ritibus, deque ecclesiastica disciplina ab Apostolis eorumque Successoribus traderentur. Sed divinis traditionibus inferre bellum ausi sunt, contendentes, solam Scripturam unicam esse et absolutissimam fidei morumque regulam; quorum haeresim Tridentina Synodus sess. IV anathemate confixit.

De hac catholica veritate Theologi plura dabunt. Ad rem nostram nihil attinet longius progredi.

§. 20.

DE USU ET AUCTORITATE TRADITIONUM

Quotiescumque igitur de fide et moribus, de sacris ritibus, deque ecclesiastica disciplina in Jure Canonico disceptatur, non modo ex S. litteris, verum etiam ex Traditione validissima argumenta petuntur. Horum argumentorum vis et auctoritas varia est pro varia origine traditionum: alia est enim auctoritas traditionis quae a Deo, et alia illius quae ab homine ortum habuit.

Ceterum ad internoscendas *divinas* traditiones ab *humanis,* tum ipsa traditionis materia inspicienda, tum SS. Patrum, in primisque Ecclesiae sententia exquirenda. Hinc quatuor regulae traduntur, videlicet

I. *Traditio divina est, si ejus materia ad fidem pertineat, quia fides solum Deum auctorem habet.*

II. *Pariter traditio divina est, si sit earum rerum, quae humanam potestatem superant, qualis ex. gr. est materia et forma Sacramentorum, quia Sacramenta a solo Deo institui potuerunt.*

III. *Sic etiam traditio divina est, si quod praecipit aut statuit, id consentientes inter se Patres tamquam oretenus a Christo vel a Spiritu Sancto dictatum, Apostolos tradidisse testentur, aut id generatim affirment, ad praeceptum divinum, sive ad divinam institutionem pertinere: quandoquidem SS. Patres sunt legitimi testes divinarum traditionum.*

IV. *Quidquid denique Ecclesia tamquam divinitus traditum observat aut docet, nec in S. litteris extat, minime dubitandum est, quin sit divinae traditioni tribuendum: neque enim Ecclesia Catholica hisce in rebus errare potest.*

At vero traditiones divinae non secus ac ipsum Dei verbum scriptum suscipiendae sunt: ipsa siquidem naturalis ratio persuadet, Deo credendum parendumque esse, sive ejus verbum per schedam, sive per vivam internuncii vocem promulgetur, cum ratio credendi atque obtemperandi non sit *littera,* sed *auctoritas* loquentis, nihilque intersit, utrum scripto, an viva voce voluntas Dei sciatur, dummodo certo sciatur. Itaque traditiones divinae immutabiles omnino sunt, nullique potestati humanae obnoxiae. Sed traditiones humanae, non secus ac humanae leges et instituta, servandae sunt, sic tamen ut mutari ab Ecclesia, justisque de causis abrogari possint.

§. 21.

DE CONSUETUDINE

Ad traditionem Canonistae solent adjungere *consuetudinem*, non quod existiment, quamdam partem traditionis esse, sed quod utraque ad jus non scriptum pertineat, quandoquidem hoc jus ex traditione et consuetudine conficitur. Consuetudo autem est jus inductum populorum moribus et usu diuturno cum expresso vel tacito Legislatoris consensu. Consuetudo dividitur I in eam, quam vocant *secundum legem*, quae proprie consuetudo non est, sed potius scriptis legibus obtemperatio. De hac consuetudine Gratianus canone 3 §. *Leges*, dist. 4: *Leges*, inquit, *constituuntur cum promulgantur, firmantur vero cum moribus utentium approbantur*: quae verba non ita accipienda sunt, quasi acceptatio populi ad vim et firmitatem legum pertineat, sed, quemadmodum Fagnanus in cap. 1 de treg. et pac. cum aliis Doctoribus docte recteque interpretatur, ea verba *ad firmitatem facti, non juris referuntur*. Dividitur II in consuetudinem, quae *praeter jus* appellatur, quae scilicet juri scripto non adversatur, sed ipsa jus novum constituit. Ad hanc consuetudinem spectat Canon 5 dist. 1 *Consuetudo est jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex*. Denique III dividitur in consuetudinem, quae dicitur *contra jus*, per quam aut lex non recipitur, aut recepta, contrariis actibus eliditur, de qua consuetudine haec breviter significamus.

Itaque consuetudo *contra jus* habet vim abrogandi legem ipsam, idque si non expresso, saltem legali et

juridico Legislatoris consensu, propterea quod jus civile et sacri canones eam vim potestatemque consuetudini tribuerunt. Namque Justinianus L. 32 §. 1 ff. de legib., *rectissime*, inquit, *illud receptum est, ut leges non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur*: et Gregorius IX cap. 11 de consuetud. ait: *Licet etiam longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat praejudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime praescripta.* Igitur si ratione nitatur, longoque usu praescripta fuerit, legem abrogat. Consuetudo vero *rationabilis* est si neque juri naturali repugnet, neque divino. Praeterea necesse est, ut a jure non fuerit reprobata. Quae autem consuetudines a jure canonico veluti non rationabiles reprobentur, eas recenset et explicat Pirrhing in libros Decretalium l. 1 tit. 3 sect. 2 §. 2.

Altera consuetudinis conditio est, ut sit *legitime praescripta* per tempus lege definitum. Qua super re id primum animadvertimus, legem quae initio non recipitur sine ullo temporis spatio abrogari, quando scilicet Legislator novit legem ipsam non servari, attamen tacet; tunc etenim post paucos contra legem actus, quibus cum facile potuisset, minime obstitit, censetur legem ipsam, quia communitati displicebat, revocasse. Ubi vero lex initio non recipitur, ignorante Legislatore, nonnisi spatio decem annorum aboletur, eo quod cap. 9 et 11 de consuetud. generatim vis legalis *longae* consuetudini tribuitur, et decem anni *longum* tempus in jure dicuntur leg. *Super*

longi Cod. de praescript. longi tempor. Tum vero consensum Legislatoris lex ipsa supplet; namque, ut ait Petrus Gibert in Corpus Juris Canonici tom. 1 part. poster., *consensus lege datus est generalis, et cadit in quasvis consuetudines Legislatori etiam ignotas.*

Veruntamen aliqua sunt, eaque non parvi momenti in medium proferenda, atque illud in primis dicendum est, in controversiis de jurisdictione ecclesiastica, cum jura utrinque incerta sunt, Concilia et Pontifices semper iis causam adjudicasse, qui consuetudine antiqua nitebantur. Praeclare enim Faustinus Legatus Romanae Ecclesiae in Concilio Carthaginensi anno 419. dixit: *quia et aliqua ordine et canone tenentur, aliqua consuetudine firmantur.* Et in Concilio Chalcedonensi act. 13. cum Anastasius Episcopus Nicaenus contenderet Ecclesiam Basilinopoleos sibi subjectam esse, judices cognitores ab eo petierunt, qua ratione id probare vellet, *an secundum Canones, an ex consuetudine aliqua.* Itaque cum Meletius Lycopolitanus non dubitasset in Aegypti Ecclesiis, quae ex antiqua consuetudine Patriarchae Alexandrino parebant, jurisdictionem exercere, Concilium Nicaenum I. ei restitit, eaque de re Canonem sextum edidit, qui est: *Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Lybiam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem.* Et in Concilio Ephesino cum disquisitio fieret, an sacrae ordinationes in Ecclesiis Cypri ad Patriarcham Antiochenum spectarent, Sancta Synodus ita decrevit: *Si non est vetus mos, quod Episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, sicut libellis et propriis vocibus*

docuerunt religiosissimi viri, qui ad Sanctam Synodum accesserunt, habeant jus suum intactum et inviolatum, qui sanctis in Cypro Ecclesiis praesunt secundum Canones SS. Patrum et veterem consuetudinem per se ipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes. In fine vero ejusdem decreti generatim edicitur: *Placuit igitur sanctae Synodo, ut unicuique Provinciae pura et inviolata, quae jam inde ab initio habuit, sua jura serventur juxta veterem consuetudinem.*

Jam vero haec vis et auctoritas, quae antiquae consuetudini tribuitur, est rationi et juri maxime consentanea. Ubi enim ita obscurata et circumfusa tenebris sunt omnia, ut a quo Ecclesia fundata, qui limites constituti, quae auctoritas concessa, et alia id genus sciri non possunt, rectissime statutum est, antiquam consuetudinem ratam et firmam servari oportere, non quod consuetudo sit causa jurisdictionis, sed quod signum est, omnia, ut nunc sunt, ita fuisse ab initio, vel postmodum legitime constituta. Atque huc spectat regula juris 45. in sexto: *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius;* et notissima regula 65: *In pari causa potior est conditio possidentis.*

Sequitur alia quaestio, an scilicet per consuetudinem jurisdictio quoque ecclesiastica acquiri possit. Hactenus enim dictum est, consuetudinem valere ad jurisdictionem retinendam, nunc vero quaeritur an etiam ad acquirendam valeat, et videlicet an ex facultatibus, quae ad solum Summum Pontificem jure communi pertinent ex. gr. relaxandi aliqua impedimenta publica matrimonium dirimentia, concedendi veniam aetatis ad Ordines et Benefi-

cia, et alias hujusmodi, eas Episcopi exercere legitime possint, quando constat eorum Praedecessores easdem exercere diuturno tempore consuevisse. Hac de re inter Theologos et Canonistas disputatum est, cum olim aliquot Galliarum Episcopi, freti antiqua consuetudine et usu suorum Praedecessorum, publica impedimenta quarti atque etiam tertii gradus consanguinitatis et affinitatis matrimonium contrahendum dirimentia relaxabant. In hac vero quaestione pro Episcopis steterunt Gibertus suarum Consultationum tom. 12. consult. 59. de matrimonio, Pontas in suo Dictionario casuum conscientiae verbo *Dispensatio matrimonii* casu 35., Van-Espen Jur. eccl. universi part. 2. tit. 14. cap. 1. n. 12., Natalis Alexander Theolog. dogmat. et moral. lib. II. de matrimonio cap. 4. art. 13., aliique. Jam vero Natalis Alexander cit. loco regula 11. et 12. *Cum*, ait, *ab Ecclesia universa, sive ab illius Capite Romano Pontifice sint instituta impedimenta matrimonium dirimentia, dispensatio super eis communi jure ad Caput universalis Ecclesiae Romanum Pontificem, non ad Episcopum pertinet, ut colligitur ex cap.* Cum inferior *de majorit., et obed., Conciliaque Provincialia plurima, Ritualia Ecclesiarum, Auctores omnes id confirmant, et auctoritatem dispensandi competere negant Episcopis, cum publicum impedimentum est, vel de contrahendo matrimonio agitur. Si tamen antiqua sit et legitime praescripta Dioecesis consuetudo, ut Episcopus in quarto gradu etiam de contrahendo certis in casibus dispenset, quia ejus Decessores hac usi sunt ab antiquo ad hanc usque diem facultate, quae a Sede Apo-*

stolica concessa creditur, quod in quibusdam Galliarum Dioecesibus fieri novimus, de his dispensationibus haud movenda lis est; siquidem consuetudo legitime praescripta juri positivo praejudicat, ususque longaevi non levis est auctoritas, ut dicitur cap. Cum consuetudo, et cap. Cum tanto de consuet.

Verum haec opinio, quae consuetudini tantam vim tribuit, quamvis a Natali Alexandro moderate admodum proposita fuerit, multos tamen Doctores invenit, qui contra sentirent. Rigantius tom. IV. Commentarior. in regul. cancellar. in notis ad regul. 49. num. 1. et 2. multa congessit, et sacrarum congregationum responsa, et Doctorum testimonia, quibus ostenderet, nunquam Episcopis licere publica impedimenta matrimonium dirimentia auctoritate propria relaxare. Ad eamdem sententiam confirmandam Cabassutius in theor. et prax. Jur. Canonic. lib. III. cap. 27. n. 6. affert canones Conciliorum Turonensis et Tolosani, et animadvertit in conflictu opinionum eam vim consuetudinis saltem in dubium vocari merito posse; ideoque concludit: *Sane istae ab Episcopis concessae dispensationes pro contrahendis conjugiis aut nullitatem aut incertitudinem causant Sacramenti. At vero in re sacramentaria unanimes docent Theologi, non esse licitum quidquam incerti adhibere.* Benedictus vero XIV. de Synodo Dioecesana lib. IX. cap. 2. iisdem ferme argumentis usus est ad eam consuetudinem refellendam. Ad eos autem, qui objiciunt, consuetudinem rite praescriptam juri communi derogare, *etiam dato,* respondet, *in aliquam Dioecesim irrepsisse consuetudinem, de*

qua contenditur, ut per eam collatum dicamus Episcopo legitimum jus auferendi impedimenta a Conciliis Oecumenicis aut a Summis Pontificibus inducta, diligenter prius examinandum est, an ea consuetudo omnes habuerit conditiones necessarias, ut potuerit praevalere legi Episcopo inhibenti, ne superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare praesumat. Quin immo cum talis consuetudo non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda et minuenda jura uni competentia Romano Pontifici, praeter ceteras conditiones necesse est, ut centum ad minus annorum spatio sine ulla interruptione perseveraverit. Quocirca citatus Van-Espen Jur. Eccl. univer. part. 2. *tit.* 14. *cap.* 1. *n.* 11. *ut Episcopo Leodiensi auctoritatem astruat dispensandi in tertio et quarto, et in tertio hinc inde consanguinitatis, seu affinitatis gradu, eamque ex legitima consuetudine ab eo acquisitam evincat, ejusmodi consuetudinem contendit esse immemorabilem. Ad consuetudinem quoque, cujus initii memoria non extet, confugit Auctor Collationum Parisiensium tom. III. collat.* 2. §. 2. *Verum postremo et potissimum considerandum est, an per eam consuetudinem, si qua inoleverit,* DIRUMPATUR NERVUS ECCLESIASTICAE DISCIPLINAE : *in quo eventu nunquam per eam adversus legem praescribi declaravit Innocentius III. in cap. Cum inter de consuet. Num porro praedicta consuetudo ejusmodi inficiatur vitio, potius quam a nobis, praestat audire a Gallicano Auctore Cabassutio in Theor. et Prax. Jur. Canonic. lib. III. cap.* 27. *n.* 6. Ibi autem Cabassutius permulta eaque gravissima de-

trimenta recenset, quae ad vigorem Ecclesiasticae disciplinae labefactandum ex hujusmodi consuetudine proficiscuntur. His igitur de causis Benedicto XIV, aliisque Doctoribus visum est Episcopis non licere praetextu vel ratione consuetudinis etiam immemorabilis ullum impedimentum relaxare.

Quoniam vero quaestio, quam initio posuimus, non solum spectat facultatem impedimenta matrimonii relaxandi, sed generatim eas facultates, quae jure communi ad Summum Pontificem pertinent, reliquum est ut dicamus earumdem facultatum quas et quatenus Episcopi per consuetudinem acquirere valeant. Qua de re, duae sunt Doctorum sententiae. Prioris sententiae patroni sic ajunt: potestates, quae ad Summum Pontificem jure communi pertinent, certum est ad ipsum pertinere, quia suprema in universa Ecclesia potestas est: atqui facultates et jura supremae potestatis praescribi minime possunt: *Contra Papam*, ait Suarez in Defens. fid. catholic. l. IV. cap. 34. n. 18., *nemo praescribere potest in his, quae ad supremam ejus potestatem pertinent. Nam ut recte dixit Innocentius capite secundo de postulat. Praelat.:* Quia Papa circa spiritualem potestatem omnia potest, et plenitudinem potestatis habet, nullus potest quaerere possessionem, quae ei praejudicet, cum eam habeat a Domino tantum. *Idemque docuit Glossa in cap. Cum nobis de praescript., ubi Panormitanus n.* 11. *et* 12. *eam valde commendat, et in cap. Si diligenti eodem titulo n.* 11. Igitur si hos Doctores audiamus, omnis consuetudo etiam immemorabilis, si apostolico privilegio,

de quo plane constet, non fulciatur, omni vi et effectu caret.

Altera vero sententia, quae plurimos habet auctores haec est: consuetudine immemorabili facultates ad Romanum Pontificem jure communi pertinentes acquiri posse, cum in ea privilegium apostolicum interfuisse jure praesumatur. *Majus difficultatis momentum*, ait Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. XIII. cap. 8. n. 21., *vertitur circa privilegia praesumpta, hoc est ex immemorabili consuetudine petita. Aliqui enim, quorum agmen ducit Ostiensis in cap. Cum contingat de for. competen. vim hanc immemorabili inesse pernegant. Contra vero alii docent: ita post Archidiaconum docet Joannes Andreas in cap. Cum Episcopus sub num.* 1. *de Offic. Ordinarii in* 6., *hisque assentitur Fagnanus in cap.* Nullus *n.* 22. *de Parochiis. Porro haec opinio in antecedenti decreto anni* 1721., *ac in successivis nostris Apostolicis Constitutionibus fuit comprobata; inest quippe immemorabili consuetudini ipsa etiam Apostolica auctoritas, quoniam is, qui ejusdem praesidio fulcitur, potest quodcumque privilegium apostolicum allegare.* Decretum autem an. 1721. est hujusmodi. Proposito dubio selectae Congregationi EE. Cardinalium et Praesulum, *an ad tramites sacrorum Canonum, sacrique praesertim Concilii Tridentini possit inferior Praelatus territorium separatum, et jurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem in Clerum et populum cum ipsius Episcopi exclusione in aliquo speciali loco acquirere per quadragenariam praescriptionem cum titulo colorato*, eadem Congregatio

cunctis suffragiis ita rescripsit: *Unanimiter respondemus non posse: sed pro acquisitione territorii separati, praedictaeque jurisdictionis omnino requiri aut clarum et undequaque subsistens apostolicum privilegium, aut consuetudinem immemorabilem cum suis omnibus requisitis rite probatam, per quam apostolicum privilegium de jure praesumi valeat.* Quod quidem decretum a Clemente XI probatum confirmatumque, deinceps in ejus Bullarium relatum est. Ex quibus apertissime liquet in consuetudine immemorabili *cum suis omnibus requisitis rite probata* eamdem aeque ac apostolico privilegio *claro et undequaque subsistente* vim et efficacitatem inesse, proindeque consuetudinem immemorabilem per se valere ad facultates, de quibus agimus, adquirendas; reliquas vero consuetudines sine privilegio Apostolico nullius momenti esse. *Est autem,* ait Benedictus XIV in sua Constitutione 33. Bullarii tom. 2., *de essentia immemorabilis consuetudinis, ut nihil contra eam auditum unquam, vel dictum aut factum fuerit.*

Hic vero nonnulli auctores contendunt in iis quoque disceptationibus, quae inter Sacerdotium et Imperium existere quandoque solent, immemorabilis consuetudinis rationem habendam esse; idque putant ad concordiam utriusque potestatis vel maxime conducere. Quae vero sint hac de re Doctorum sententiae, quibusve rationum momentis unaquaeque earum nitatur, breviter accurateque exponit De Marca in Opere de Concordia Sacerd. et Imperii lib. III cap. 9. num. 6., ubi ita disserit: *Novo jure Decretalium addita est alia exceptio, nempe ut*

inutiles habeantur omnes consuetudines, quae aliquo pacto libertatem et immunitatem ecclesiasticam violant, idest quae Principibus laicis potestatem quamdam in res aut personas ecclesiasticas indulgent, quia cum rerum spiritualium tractandarum sint incapaces, ratione destituta censetur consuetudo, quae rerum conditionem evertit, adeoque nullo tempore etiam immemoriali vires obtinere potest, ut docent plerique juris Canonici Interpretes.

Itaque De Marca, vir ingenuus, aperte fatetur, plerosque Doctores in ea sententia esse. Sed prosequitur: *Hac difficultate se quidam expediunt, adhibita distinctione, ita ut immunitas omnino, et in universum abrogari non possit, vel adeo restringi ut maxima ordini Ecclesiastico fiat injuria, sed in quibusdam articulis ei derogari possit consuetudine quadam mixta, quae ex Clericorum et laicorum consensu proficiscatur, ut recte observat Covarruvias. Ob quam rationem se forensem Gallorum usum non damnare profitetur de conveniendis Clericis coram judice saeculari in actionibus realibus. Alii vero hunc nodum ita solvunt. Fatentur ex possessione immemorabili nec praescriptionis, nec consuetudinis titulo rerum spiritualium administrationem laicis acquiri posse; attamen ex consuetudine praescripta per possessionem illam immemorabilem instrui probationem privilegii a Summo Pontifice concessi. Itaque ajunt in hac specie sufficere, ut allegetur titulus, idest privilegium a Superiore indultum: Ejus enim probatio sola possessione centenaria, vel immemorabili conficietur, etiamsi nulla exhibeatur privilegii tabula. Morosiores requirunt ad summum probatio-*

nem famae, quae doceat privilegium illud concessum fuisse, quamvis haec conditio a multis necessaria non esse dicatur. In eum autem finem requiritur privilegii allegatio, ut constet, aut saltem censeatur laico idoneitatem, vel capacitatem rei ecclesiasticae tractandae indultam fuisse a Summo Pontifice.

Hac de re satius videtur nobis aliqua animadvertere, quam disputare. In primis itaque animadvertimus eam consuetudinem, quae mixta appellatur, nihil firmitatis et roboris acquirere ex consensu Clericorum, cum agatur de immunitate Ecclesiastica, seu de privilegiis Ordinis Clericalis, quibus per Canones non licet renunciare. Nam immunitas Clericorum a foro saeculari, seu privilegium fori, ut ait Innocentius III. in cap. *Si diligenti* de foro competen., *non est beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti Collegio ecclesiastico publice est indultum, cui privatorum pactio derogare non potest.* Idem ante Innocentium III decretum fuerat a Conciliis Toletano tertio cap. 13., et Carthaginensi tertio cap. 9. Ob eamdem rationem non licet Clericis privilegio Canonis renunciare, uti Clemens III. Archiepiscopo Bracharensi respondit cap. *Contingit* de senten. excommunic.: *cum ille canon,* ait, *non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus; ideo et volumus, et mandamus, ut id de cetero prohibeas attentari.*

Secundo loco animadvertimus in iis, quae neque naturali jure neque divino continentur, consuetudinem immemorabilem ea vi praeditam esse, quam ei De Marca

tribuit, idque ob privilegium apostolicum, quod initio interfuisse praesumitur, dummodo hujusmodi consuetudo rite praescripta, et praesertim cum aliqua fama et opinione privilegii conjuncta fuerit, quo magis magisque legitima ejus origo confirmetur.

Tertio denique animadvertimus, si qua hisce de rebus controversia inter utramque potestatem oriatur, sciri oportere, quinam legitimi judices habendi sint. Auctor Commentarii *De finibus utriusque potestatis* cap. 13. num. 12. et seqq. tria causarum genera distinguit. Ait enim : *vel quaeritur de juribus, quae ad solam Ecclesiam pertinere constat ex divinis oraculis, et ex traditione; vel dissidium est circa eas res mixtas, quas vetus possessio vindicavit Ecclesiae vel Imperio; vel demum ambigitur utri Partium res debeatur, quae in controversiam venit.*

Si de primo causarum genere agatur, audire oportet Ecclesiam, cui soli divinitus commissa est juris divini interpretatio; et tunc Rex, velut ovis et filius Ecclesiae, fidem habere eidem debet, ne secus agendo terminos sibi divinitus constitutos temere mutet.

Si vero vetus Possessio *rerum mixtarum fuerit violata, postulant justitiae leges sua possidenti servari jura.*

Denique si dubium sit, utri Partium sit causa adjudicanda, neque finiri quaestio possit vel jure divino, vel ex possessione; tunc oportebit mutuis consultationibus, ac aequa compositione omnem controversiam tollere, eo saltem modo, quo cum aliis summis Imperantibus fit. Neque enim decet causam Ecclesiae esse deteriorem quam alterius Principis.

Vide Benedictum XIV de Synod. Dioeces. lib. IX. cap. 9. Franciscum Suarez in defensione fidei catholicae lib. IX. cap. 34 n. 17, Commentarium de finibus utriusque potestatis cap. XII et XIII, De Marca cit. loco, Covarruvias practic. quaestion. cap. 7 §. 5, aliosque a dictis auctoribus citatos.



DE CONSTITUTIONIBUS SUMMORUM PONTIFICUM

§. 22.

DE VARIIS SUMMORUM PONTIFICUM CONSTITUTIONIBUS

Summi Pontifices, quam a Christo ipso potestatem acceperunt, eam praesertim in suis Constitutionibus explicarunt, ex iisque tamquam ex uberrimo fonte maxima Juris Canonici pars confecta est. Constitutionum nomine intelliguntur definitiones, decreta, epistolae decretales, rescripta, et generatim ordinationes et regulae omnes, quae a Pontificibus tamquam totius Ecclesiae Rectoribus conduntur.

Harum Constitutionum duplex est genus: nam vel *dogmaticae* sunt, vel *disciplinares*. Dogmaticae sunt, quae ad fidem et mores; Disciplinares, quae ad ritus et disciplinam sacrorum, externamque politiam Ecclesiae pertinent. De Constitutionibus dogmaticis nihil modo dicturi sumus: quae enim sit auctoritas Summorum Pontificum in fidei morumque causis definiendis, an eorum judicium

5*

Christiani omnes sequi debeant, sitque irreformabile, opportunior dabitur in Jure Publico disserendi locus. Nunc de iis tantummodo legibus sermo erit, quae ad Religionis cultum, omnemque disciplinam spectant.

§. 23.

DE USU ET AUCTORITATE CONSTITUTIONUM SUMMORUM PONTIFICUM

In omni societate aliquis sit oportet, qui jura et officia singulorum ordinum, actiones, res, negotia, judiciaque aequis legibus moderetur, jubendo ea quae facienda sunt, et contraria prohibendo. Etenim sine legibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare potest. Iis vero ferendarum legum potestas est, qui regendae, gubernandae, administrandaeque societati praepositi sunt. Atqui Summo Pontifici *in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Jesu Christo plena potestas tradita est*, quod Florentina Synodus definivit; Pontifices ergo acceptam a Christo potestatem tenent jubendarum legum, quibus universa Ecclesia obtemperare, easque sequi omnino debet.

Proinde hujusmodi leges ad Jus commune ecclesiasticum pertinent, ex iisque pars potior Juris Canonici confecta est, ita ut in cultu sacrorum, in cura christiani populi, in administratione rerum ecclesiasticarum, in judiciis, in universa denique ecclesiastica disciplina maximum usum auctoritatemque habeant.

Priscis temporibus Constitutiones Summorum Pontificum *Auctoritates* nominabantur, quo significaretur summam debere apud omnes esse earum vim auctoritatemque. Acta Synodi Palestinae, quae Victore I Pontifice celebrata est, sic incipiunt, *Papa Victor Romanae Urbis Episcopus direxit auctoritatem ad Theophilum Caesariensem. Cum multitudo illa convenit, Theophilus Episcopus protulit auctoritatem ad se missam Papae Victoris.* Teste Counstantio, in pervetusta canonum collectione non alio quam *Auctoritatis* nomine inscribuntur Epistolae Decretales: *Auctoritas Siricii ad Himmerium - Auctoritas Innocentii ad Victricium.* Et Zosimus ep. I ad Episcopos Galliae, cum decrevisset, ut qui e Gallia aut Romam aut alio se conferebant, litteras formatas a Metropolitano Arelatensi acceptas exhibere deberent, addit: *Quam Auctoritatem ubique nos misisse manifestum est, ut cunctis regionibus innotescat id, quod statuimus, omnimodis esse servandum.*

Interdum Pontifices Maximi in suis Constitutionibus solent Apostolicae Sedis jura dignitatemque tueri. Quaeritur itaque an Pontificibus in causa propria credendum sit? *Absit,* inquit Auctor, in quem nulla assentationis suspicio cadit, nempe Auctor Defens. Declarat. Cleri Gallicani part. 2 lib. 15 cap. 6, *absit istud;* (ut eis non credamus) *pari enim jure dixerint, ne Episcopis quidem aut Presbyteris esse adhibendam fidem, cum Sacerdotii sui honorem praedicant, quod contra est; nam quibus Deus singularem honoris dignitatisque praerogativam contulit, iisdem inspirat verum de sua potestate sensum, ut ea in Domino, cum res poposcerit, libere et confidenter utantur, fiatque illud, quod ait Paulus 1 ad Cor. 2 v. 12 ACCEPIMUS SPIRITUM, QUI EX DEO EST, UT SCIAMUS QUAE A DEO DONATA SUNT NOBIS. Quod quidem hic semel dicere placuit, ut temerariam, ac pessimam responsionem confutarem: profiteorque me de Sedis Apostolicae majestate Romanorum Pontificum doctrinae et traditioni crediturum.*

§. 24.

DE HARUM CONSTITUTIONUM PROMULGATIONE

Est tritum sermone proverbium, *legem sive civilem, sive ecclesiasticam, non obligare, nisi fuerit sufficienter promulgata.* Quod verissimum est; ipsa enim naturalis ratio persuadet, legem non promulgatam, ne legem quidem putandam esse.

Verum in disceptationem vocatur, an sit aliqua promulgationis faciendae praescripta forma? Justinianus Novella LXVI constituit, ut novae leges non modo in urbe principe, sed etiam in singulis provinciis promulgarentur. Sed ea Novella ex iis legibus est, quas *positivas* vocant: id enim statuit, quod aliter, si latori legis placuisset, statui poterat. Neque enim natura legis, sive naturalis ratio exigit in singulis provinciis leges promulgari: satis est si ita promulgentur, ut ad eorum notitiam, pro quibus latae fuerint, pervenire possint. Egregie Cardinalis Gotti Tractatu V de leg. quaest. 6 dub. 4 num. 1 in hanc sententiam ita scribit: *Spectato solo jure naturali, lex tam civilis, quam ecclesiastica, ut subditos obliget, non requirit determinatum promulgationis modum, sed satis est ea promulgatio, quae necessaria et sufficiens est, ut lex morali et humano modo devenire possit in notitiam subditorum, sive sit lex Imperialis, sive Pontificia, sive publica voce praeconis, sive per affixionem, sive hoc fiat in Curia tantum, sive in pluribus locis. Et ratio est, quia ex natura rei, ut lex obliget, non requirit aliquam determinatam solemnitatem, quae obser-*

vari debeat, sed solum quod sufficienter proponatur Communitati modo, quo mediate vel immediate, simul vel successive in omnium notitiam deveniat.

Huc accedit judicium et auctoritas Innocentii III, qui cap. 1 de Postulat. Praelat. Decano et Capitulo Senonensi scripsit, *non esse necessarium, cum Constitutio solemniter editur aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel litteras incùlcare; sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam.*

Quae cum ita sint, plerique Doctores jure ac merito contendunt, promulgationem Constitutionum ecclesiasticarum solemniter Romae factam satis esse, ut omnes ubivis gentium Christiani ad eas servandas obstringantur.

Verum Auctor Principiorum Juris Publ. Eccl. Cathol. cap. V. §. 49 huic sententiae contradicit his verbis: *Cum Roma, ubi conduntur Papales Constitutiones, immense distet ab Ecclesiis Indiae, Africae, Americae, ac Septentrionis, ad oculum patet promulgationem Romae dumtaxat factam, ut ut solemnis esset, ex ipsa natura rei et disproportione locorum haud sufficere, sed requiri ut fiat in singulis Dioecesibus, imo Paroeciis.* Et in subjecta nota sic addit: *Neque hoc dependet a voluntate legislatoris; ejus enim placitum nequit supplere defectum naturalem disproportionis.*

Huic autem argumento responsio est, neminem adeo ineptum esse, qui putet leges ecclesiasticas, quo die Romae solemniter promulgantur, eodem die ipso gentibus etiam

remotissimis obtemperandi necessitatem inferre. In hoc siquidem esset naturalis *disproportio*, ut eisdem verbis utamur. Sed ea *disproportio* tollitur, cum dicimus ecclesiastica lege solemniter Romae promulgata obligari neminem, qui legem ignoret: sive, ut ait Pontifex c. 1 de concess. praeben. in 6, *Lex seu Constitutio, et mandatum nullos obstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut nisi post tempus, intra quod ignorare minime debuissent.* Itaque pro majori vel minori ab Urbe distantia, brevius tempus aut longius a die promulgationis elabi debet, antequam christianus populus promulgata lege teneatur, donec scilicet lex ipsa non rumoribus incertis, sed sufficienti certitudine innotuerit. Quamobrem inscii, dummodo culpabilis ignorantia absit, lege non obligantur. Ita Innocentius I ad Exuperium Episcopum Tolosanum (can. 2 dist. 82) ignoscendum duxit Clericis, qui in Diaconii ministerio, vel officio Presbyterii positi, ab uxoribus non abstinuerant, ubi tamen probaretur *novam Siricii Constitutionem in eorum Provincias non commeasse.*

Vide Franciscum Antonium Zaccaria in suis dissertationibus latinis Fulginiae editis tom. II. dissert. 11 *De varia Ecclesiae praesertim latinae in promulgandis sacris Constitutionibus disciplina.*

Praestat admonere tirones, totam quaestionem de promulgatione romana super legibus disciplinae versari; nam Constitutiones dogmaticae de fide et moribus promulgatione non indigent, cum leges non sint, sed ipsa fidei morumque doctrina uberius explicata et fidelibus proposita; in quo Doctores utriusque sen-

tentiae consentiunt. Sic Tournelius in suis praelect. theolog. tract. de leg. cap. V sect. 4 hanc propositionem probandam sumpsit, nempe: *Leges Pontificiae non ante obligant, quam in singulis Provinciis promulgatae fuerint:* sed eodem loco fatetur et profitetur: *Quod semel ad fidem pertinere declaratum est, ubique bonum, ubique necessario tenendum ut verbum Dei, unde ei adhaerendum est, statim ac certo cognoscitur, sive promulgationis via, sive alia quacumque ratione cognoscatur.* Et Cabassutius Juris Canon. Theor. et Prax. lib. 1 cap. 4 num. 6 tradit, decretis fidei *ligari quicumque privatim illorum habent sufficientem notitiam, quamvis neque in Provinciis promulgata, neque publice recepta fuerint...... et qui in Provincia dissita certo sciret, unum aliquod fidei decretum fuisse Romae ad valvas Apostolorum publicatum, hoc ipso illi acquiescere sufficienter teneretur.*

§. 25.

DE ACCEPTATIONE LEGUM ECCLESIASTICARUM

Sunt aliqui Canonistae auctoritatem Episcoporum nimium extollentes, qui docent unicuique Episcopo integrum esse novas Summorum Pontificum Constitutiones expendere, et cognoscere utrum suis Dioecesibus utiles an noxiae futurae sint, ut exinde possint utiles acceptare, et noxias non admittere. Namque ajunt Supremam Primatus potestatem ita exercendam esse, nihil ut detrahat de illa potestate, quam Episcopi divinitus acceperunt, eamque potestatem ita extollunt, ut Episcopos ferme Pontifici pares faciant; quapropter Febronius affirmare non dubitavit *leges papales non obligare, nisi ab Ecclesiis acceptentur.* Sic nullum locum praetermittunt convellendi Primatus jurisdictionis, si fieri possit.

Primatus enim jurisdictionis (quod supra dictum est, et dicendum est saepius), ex definitione Concilii Florentini, est plena potestas a D. N. Jesu Christo Petro ejusque Successoribus tradita *pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam*. At quomodo Pontifex plena cum potestate pascet, reget gubernabitque Ecclesiam, si nequeat leges imponere, praescribere, jubere, vetare?

Sed Pontifex, inquiunt, leges ferre potest; Episcoporum est vero perspicere, an leges ipsae proprio gregi conveniant. At vero si acceptatio Episcoporum postuletur, antequam lex obligandi vim habeat, illud semper consequitur potestatem Primatus aut nullam esse, aut *meri*, ut ajunt, *directorii*, quia Pontifex non legem proprie conderet, sed proponeret: Episcopi vero vel acceptarent, vel non admitterent.

At vero Zallwein et quidam alii Canonistae sentiunt, fas profecto Episcopis (Episcopis, inquam, non populo) esse Pontificum leges expendere, easque non promulgare, quotiescumque probe noverint gregibus suis inutiles, vel noxias fore, non quod potestatem ferendarum legum, quibus christianus populus obligetur, in Pontifice non agnoscant, sed quod ea sit Summorum Pontificum voluntas, ut suae leges non promulgentur, si Episcopis videantur plus obesse posse, quam prodesse. Ad quam sententiam confirmandam proferunt cap. 1 de Constit. in 6 cap. 5 de Rescriptis, cap. 6 de Praebendis, cap. 10 de Foro compet. Verum ea omnia loca alio omnino spectant. Siquidem cap. 1 de Constit. in 6 tantummodo decernit, *speciales consuetudines et statuta rationabilia locorum*

per novas Constitutiones non tolli, nisi id apertis verbis exprimatur: cetera vero capita ad rescripta Pontificum, non ad novas leges pertinent.

At subdunt: si Romanorum Antistitum Constitutiones Ecclesiis suis vel minus accommodatas, vel noxias etiam pro variis locorum rationibus Episcopi judicent, numquid eas recipere debent et promulgare?

Responsionem dabimus eisdem verbis Benedicti XIV de Syn. Dioeces. lib. IX cap. 8: *Nonnunquam,* ait, *experientia demonstrat aliquod ex hujusmodi generalibus statutis, licet plerisque Provinciis ac Dioecesibus utile atque proficuum, alicui tamen Provinciae aut Dioecesi opportunum non esse; id quod Legislatori compertum non erat, cum ipse peculiares omnes locorum res, atque rationes perspectas habere nequeat, quemadmodum fatetur Pontifex in c. 1 de Const. in 6. In his itaque rerum circumstantiis Episcopus intelligens, Apostolicae Sedis legem in Dioecesi sua noxium aliquem effectum producere posse, non modo suas Romano Pontfici rationes repraesentare non prohibetur, quin potius ad id omnino tenetur. Neque Romani Pontifices unquam renuerunt inferiorum rationibus aures praebere; et, quoties has satis validas esse agnoverunt, minime recusarunt aliquas Provincias aut Dioeceses a generalium Constitutionum suarum lege eximere.*

§. 26.

DE PLACITO REGIO

Aliqui Canonistae contendunt, Summis Principibus jus esse Constitutiones ecclesiasticas sive a Summo Pontifice, sive ab Episcopis conditas, antequam promulgentur, publicae utilitatis causa inspiciendi, atque adeo promulgandas non esse, nisi Principes ipsi permiserint. Quae quidem permissio *Placitum - Placitum regium - Exequatur - regium Pareatur*, aliisque hujusmodi vocabulis nominari solet. Illud autem jus derivant ex jure *majestatico* inspiciendi et cavendi, ne quid Respublica detrimenti capiat, propterea quod ajunt fieri posse, ut Constitutiones ecclesiasticae aliquid contineant, quod juribus Imperii detrahat, aut civili societati nocere possit.

Si *Placiti* originem quaeras, ejus initium repetendum est a schismate omnium, quae hactenus Ecclesiam Dei turbarunt, teterrimo atque longissimo, quod ab Urbano VI ad Concilium Constantiense perduravit. Namque Urbanus VI, ne occasione schismatis fraudes impune admitterentur, *concessit*, ut legimus in Constitutione secunda Martini V, *quibusdam Praelatis, quod in eorum civitatibus et Dioecesibus non posset fieri exequutio aliquarum litterarum apostolicarum, nisi prius hujusmodi litterae Praelatis ipsis, vel eorum Officialibus ad hoc deputatis exhiberentur, et per ipsos approbatae forent.* Principes quoque, ne populi a Pseudopontificibus deciperentur, in Bullas, et Constitutiones omnes studiose inquirere coeperunt.

At vero cessante causa, non cessavit effectus; extincto scilicet schismate, *Placitum* non evanuit, sed apud multas nationes a potestate civili retentum est, et gradatim amplificatum. *Primum nempe,* ut ait Oliva de for. ecclesiast. part. 1 quaest. 22 num. 19, *ad rescripta gratiae et justitiae privatis data adhiberi Placitum coeptum est, postea extensum ad decreta disciplinae, demum ad Bullas etiam dogmaticas.*

De jure inspiciendi cavendique, quo *Placitum regium* niti autumant, generatim animadvertimus, jus istud certis finibus coerceri, quos egredi non potest. Namque, ut ait Puffendorfius de Jur. Nat. et Gent. lib. VII cap. 1 §. 7 et 8, *homo jus habet utendi omnibus mediis quae sana ratio ad ipsius conservationem necessaria dictitat adversus omnes, a quibus ipsi periculum imminere itidem sana ratio suggerit. Igitur si quis cautionem suam ulterius, quam ratio sana admittit, extenderit, sine dubio in legem naturalem peccabit.* Ergo lex naturae vetat in aliorum actiones inquirere ea de causa quod nocere possunt: neque unquam Ecclesia jus sibi vindicavit Summorum Principum leges, antequam ederentur, inspiciendi probandique ob eam tantummodo rationem, quod aliquod ex eis detrimentum capere posset. Igitur necesse est, justam quoque esse causam timendi, ne futurum sit, ut detrimentum aliquod inferatur. Quid porro mali ab ecclesiasticis Constitutionibus Respublica timere potest? Enimvero Constitutiones dogmaticae, quae fidei morumque doctrinam proponunt, tantum abest ut Reipublicae noceant, ut nihil magis possit ei prodesse;

siquidem Religio maximum est propugnaculum et praesidium Reipublicae. Sic etiam Constitutiones, quae ad disciplinam pertinent, pro *salubri regimine Ecclesiae,* ut ait Zypaeus in Analys. Jur. Pontif. lib. 1 tit. de Constitut., *maturis et repetitis deliberationibus ad tollendos abusus cum magno decore domus Dei, incremento politiae ecclesiasticae, et augmento justitiae saecularis promulgantur;* et Ecclesia nihil habet antiquius, quam ut jura civilis potestatis inviolata ubique maneant.

Verum illud gravissimum accedit, quod hujusmodi Placito libertas Magisterii et Regiminis ecclesiastici divinitus Ecclesiae concrediti apprime laeditur; et si Ecclesia ad majora praecavenda mala sustinet et tolerat, non tamen consentit neque approbat.

Pro Placito regio scripserunt Felicianus Oliva, apud Lusitanos canonum doctor, *de Foro Eccl. p.* 1 *q.* 22, Franciscus Salgado *de Supplicatione ad Sanctissimum,* itemque *de Regia Protectione,* Didacus Covarruvias in quaest. practic. q. 35, qui tamen omnes jus illud quibusdam terminis et modis circumscripserunt. Sed Van-Espenius omnem modum et terminum transivit, ita ut Zallwein in princip. jur. Eccles. tom. 1 q. 4 cap. 2, dixerit: *Hortamur catholicos, ut hunc auctorem caute legant, qui sane excessivus est in extensione hujus Placiti regii, et jure optimo illis scriptoribus annumerari meretur, qui muscas captant, de umbra disputant, interesse politicum etiam imaginarium ante oculos habent, atque hac ratione potestatem ecclesiasticam ferme ad incitas redigunt: e contra politicam ultra suos fines quam longissime extendunt.*

Pro sententia nostra vide Zallinger *Jur. eccl. publ. l. V* §. 401, et *Antifebronium vindicatum tom. IV diss.* 12 *cap.* 2 *num.* 3, apud quos invenies etiam argumenta contraria docte periteque confutata.

§. 27.

DE RESCRIPTIS

Ecclesiasticis Constitutionibus adjungimus Summorum Pontificum Rescripta, quae sunt speciales quaedam Constitutiones, quibus ipsi Pontifices interdum motu proprio, plerumque tamen vel de jure ambiguo consulti, vel precibus permoti ad certas personas rescribunt. Ea quae Pontifex scriptis mandat, cum de jure respondet, *Rescripta justitiae;* cum precibus indulget, *Rescripta gratiae* dicuntur. Igitur rescriptis justitiae jus dubium explicatur, quaestiones propositae dissolvuntur, vel ad alicujus petitionem judex delegatur. Rescriptis gratiae beneficium, privilegium, aut gratia quaecumque conceditur.

Rescripta vero pro varia negotiorum gravitate, vel per simplicem Scripturam, vel per Bullas aut Brevia expediuntur.

§. 28.

DE AUCTORITATE ET USU RESCRIPTORUM

In Jure civili regula fuisse videtur, rescripta tantum jus facere in iis causis et personis, pro quibus edita sunt; nisi in Codices publica auctoritate redigerentur, aut aliquid

amplius continerent, quod eis vim legis generalis conciliaret; quod Joannes Gotthofredus multis probat in lib. IX Cod. Theod. *de diversis rescriptis.* At in Jure Canonico plerique putant rescripta justitiae, quibus peculiares quaestiones deciduntur, vim legis generalis habere, quamvis nec auctoritate publica in Codicem relata sint, nec aliud contineant, ex quo compertum sit Pontificem voluisse generalem legem condere. Sane Innocentius III c. 19 *de sent.*, et *re jud.* sic edixit: *In causis, quae Summi Pontificis judicio deciduntur, et ordo juris et vigor aequitatis est subtiliter observandus, cum in similibus casibus ceteri teneantur similiter judicare; nisi forte cum aliquid, causa necessitatis aut utilitatis inspecta, dispensative duxerit statuendum.* Ex quibus verbis duae conditiones desiderantur, ut inferiores judices secundum rescripta vel decisionem Pontificis sententiam ferre debeant. Prima est, ut casus sit omnino similis. Ad rem Card. De Luca in Annot. ad Conc. Trid. discursu I num. 12: *Cum illae decisiones, quae singulos vel particulares concernunt casus, ex eorum particulari qualitate et circumstantiis manare, soleant, ideoque alteri diversas circumstantias habenti non semper sunt applicabiles, cum diversimode ob diversam facti qualitatem saepius decernere congruat, quod vulgus male concipit, atque contrarietatem appellat.* Altera est, ut Pontifex prorsus rescribat aut decidat, et non dispensando quidquam statuat, siquidem manifestum est dispensationes hujusmodi in iis tantum eventibus et personis valere, pro quibus concessae fuerunt.

Haec autem sententia, quamvis inter Juris interpretes

communior sit, suos tamen adversarios experta est ob eam causam, quod Pontifex non ea mente judicium profert, ut Jus novum constituat, sed jam constitutum applicet, ideoque non Legislatoris, sed judicis munere fungitur. Huc accedit etiam, quod jus inter privatos dictum, privatam utilitatem, non bonum publicum respiciat, et praeterea publica promulgatione careat, quae duo ad naturam legis maxime desiderantur.

Veruntamen in medio relicta quaestione, illud apud omnes certum est, epistolas sive rescripta Pontificis legem dubiam interpretantis Jus commune constituere, etiamsi ad privatam consultationem data fuerint; tunc enim Pontifex Legislatoris personam gerit. Hinc Innocentius III, c. 9 *de voto* sic statuit: *Ex consultatione, quam ad inquisitionem tuam super negotium Cruce signatorum olim edidimus, viam invenisti ad alias quaestiones, et utrum, quod in ea dicitur, Jus constituat generale. Ad hoc igitur respondemus, quod in consultatione nostra Jus editur.* Et Justinianus in L. *Si imperiali* Cod. de legibus: *Definimus,* inquit, *omnem Imperatorum legum interpretationem sive in precibus, sive in judiciis, sive alio quocumque modo factam, ratam et indubitatam haberi.*

Rescripta gratiae a die datae vim exerunt; ex quo illud consequitur, quod si duo litteras ad idem beneficium impetraverint, ex tempore datae, ceteris paribus, judicandum sit uter praeferri debeat. Verum aliqua rescripta gratiae ita comparata sunt, ut executorem postulent: quo casu a tempore executionis vigorem obtinent. Sic ex L. 5 Cod. de temp. in integ. restitutionis venia a Principe

concessa, *ex eo die quo indulgentia Principis in judicio competenti fuit intimata, et administratio rei propriae permissa vim suam consequitur.*

Rescripta justitiae a die factae insinuationis generatim valere incipiunt; insinuari autem tamdiu possunt, quamdiu durat actio aut exceptio, ob quam impetrata sunt. At qui per annum insinuationem neglexit, et interim adversarius ejus aliud rescriptum consequutus est, rescriptum prius expirat. Nam Innocentius III c. 23 *de Rescr.* sic respondit: *Si quis nostras litteras impetrans, intra annum, postquam copiam judicum habuerit, ex malitia vel negligentia postposuerit uti eis, auctoritate posteriorum litterarum valeat conveniri, licet in ipsis nulla de prioribus mentio habeatur.*

§. 29.

DE RESCRIPTIS VITIOSIS RATIONE PERSONARUM

Rescripta vim non habent, nisi vitiis expertia sint. Triplici autem vitio laborare rescripta possunt, videlicet vitio *personarum*, quae inabiles sint vel concedendis vel obtinendis rescriptis; vitio *precum*, quae veritatem supprimant, vel falsitatem contineant; et vitio *formae*, quae legitime exarata non fuerit.

In primis itaque de persona concedentis et impetrantis videndum est. Rescripta concedere potest qui suprema potestate pollet, iisque tantum in rebus quae ipsius imperio subjiciuntur. Ex quo intelligitur soli Pontifici in rebus spiritualibus et ecclesiasticis, Principibus autem

Supremis in temporalibus rescribendi auctoritatem inesse, eorumque rescripta seu justitiae seu gratiae inutilia esse, si propriae potestatis limites egrediantur. Sic natalium restitutio per rescriptum Principis impetrata ad effectus civiles facit, ad officia et beneficia ecclesiastica nullum momentum habet.

Rescripta consequi quisque potest sive pro se, sive pro alia persona; et quidem rescripta gratiae pro persona etiam non mandante, imo penitus ignorante, utiliter impetrantur. At rescriptum *ad lites* irritum est, si pro alio petatur sine speciali ipsius mandato, nisi pro iis personis petatur, a quibus non debet de jure exigi mandatum, quales ex. gr. sunt parentes et tutores (c. 28 *de rescript.*). Praeterea nullam ex rescriptis utilitatem ferre possunt haeretici, et majori excommunicatione irretiti, etiamsi non vitandi et occulti sint. Quamobrem ad cautelam solvi ab excommunicatione ii solent, quibus a Summo Pontifice gratia aut privilegium impertitur. Quae tamen absolutio tantummodo efficit, ut illud peculiare rescriptum effectu suo non careat.

§. 30.

DE VITIO PRECUM

Ex vitio precum irrita rescripta sunt, si veritas secundum Curiae stylum et Juris regulas exponenda reticeatur, aut falsa sint quae narrantur. Rescriptis enim haec semper conditio, etiamsi expressa non sit, inesse censetur, *si preces veritate nitantur*. Ubi aliquid reticitum est quod

exponi oportuisset, rescriptum *subreptitium* dicitur; si quid falsi narratum est, *obreptitium* appellatur. Interim ad rem praesentem nihil interest utrum subreptio interfuerit an obreptio, sed magni interest, an obreptio vel subreptio ex dolo et malitia, an ex sola ignorantia et simplicitate contigerit. Itaque Pontifex (c. 20 *de rescript.*) tres regulas statuit.

Prima est: *Qui fraude vel malitia falsitatem exprimunt, aut supprimunt veritatem, in suae perversitatis poenam nullum ex iis litteris commodum consequantur.* Haec autem regula tum rescripta gratiae, tum etiam justitiae complectitur: utraque enim ex communi sententia nulla sunt atque irrita, etiamsi suppressio veri, vel narratio falsi praecipua causa non extiterit, quamobrem rescriptum concessum fuit. Rescripta tamen ad lites non ipso jure sunt irrita, sed ope exceptionis irrita fieri possunt. Vide Fagnanum in cap. *Ceterum* de Rescript. num. 9.

Secunda regula est: *Qui ex ignorantia vel simplicitate litteras impetrant, distinguendum est, quae falsitas suggesta fuerit, vel quae veritas sit suppressa: nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quae quamvis fuisset tacita vel expressa, Pontifex nihilominus saltem in forma communi litteras dedisset, Delegatus non sequens formam in litteris ipsis appositam, secundum ordinem juris in causa procedat.* Igitur utile rescriptum erit, ubi ex ignorantia vel simplicitate falsum expositum, aut verum silentio praetermissum concessioni causam non dedit; nullam namque poenam simplicitas

et ignorantia meretur. Illud tamen Pontifex admonuit in executione decreti, *non secundum formam in ipsis litteris appositam, sed secundum juris ordinem procedendum:* quo significatur hujusmodi decreta in substantialibus, ut ajunt, consistere; in reliquis autem juri communi accommodanda esse: ex. gr. si judex delegatus fuerit, ut de plano et appellatione remota procedat, delegatio judicis valet, sed judici procedendum erit juris ordine servato.

Tertia regula est: *Si per falsitatis expressionem, vel suppressionem veritatis litterae fuerint impetratae, qua tacita vel expressa nullas prorsus litteras Pontifex dedisset, a Delegato non est aliquatenus procedendum.* Haec regula superioris appendix et explicatio est. Quaeri enim poterat, quidnam judicandum, ubi subreptio vel obreptio, etiamsi ignorantiae vel simplicitati tribuenda esset, attamen rescripti causa extiterat? Igitur rescriptum hujusmodi prorsus irritum habendum est, quandoquidem deficiente causa, quae ad rescribendum Pontificem movit, ipsius Principis voluntas defuit, ex qua rescriptorum vis omnino pendet.

§. 31.

DE VITIO FORMAE

Tertio tandem modo rescripta irrita sunt vitio formae, si nimirum in eorum expeditione vel desint characteres veritatis, vel notae falsitatis inveniantur. Veritatis characteres habentur, si rescriptum exaratum sit secundum eas solemnitates, quae ex jure et stylo Curiae servari de-

bent; quales sunt salutationes, sigilla, filum, charta, forma litterarum, subscriptio, data, aliaque id genus. Falsitatis vero notae sunt: 1.° Si rescripta in loco suspecto abrasa aut vitiata appareant; locus autem suspectus est, quo *substantialis*, ut ajunt, rescripti pars continetur, ubi nimirum Pontifex declarat quid, quantum, quibus modis et conditionibus rescribat. 2.° Si gravis et manifestus error latinitatis occurrat. *Quibus litteris nostris,* ait Pontifex c. 11 de rescript., *cum manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere.* In quem locum sic habet Glossa: *Patet quod vitium latinitatis vitiat rescriptum. Sed propter modicum defectum vel errorem, qui vel scriptori, vel nimiae occupationi tribui potest, rescriptum non vitiatur.* Hinc Honorius III c. 11 de fide instrument. respondit: *Quia rescriptum apostolicum, pro eo quod in hac dictione SPOLIARUNT haec figura O deerat, asseritur vitiosum; mandamus quatenus hoc non obstante in negotio ipso praevia ratione procedas.* 3.° Si jus tertio quaesitum adimatur; nam regulae de jure quaesito non tollendo derogare Pontifex non censetur, quamvis rescriptum ediderit motu proprio, et ex certa scientia, aut de plenitudine potestatis, cum derogatione Constitutionibus apostolicis et Regulis Cancellariae, etiam cum clausula *Quorum tenorem* etc., aliisque generalibus derogationibus. Sed prorsus opus est, ut ipsi regulae *de jure quaesito non tollendo* expressis verbis derogetur, quo casu derogatio prodest, si de publica causa agatur, in qua jus tertii juri publico postponitur. At si de causis privatis agere-

tur, plures Doctores dubitant utrum Pontifex sine causa possit jus quaesitum auferre, et idcirco rescripta hujusmodi, siqua Pontifex forte dederit, eo animo dedisse videtur, ut effectum consequerentur, si, et quatenus praejudicium tertii vitari posset. 4.° Si clausulis derogatoriis non sint munita. Itaque si rescriptum juri communi contrarium sit, ipsius juris mentio et derogatio postulatur, ut appareat, Pontifici rescribenti et contrarii juris scientiam, et voluntatem derogandi non defuisse. Quapropter Constitutiones generales a rescriptis in hoc differunt, *quod Pontifex Constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur* (cap. *Licet* de Const. in 6); *sed rescripta data contra legem non valent, nisi in ipsis fiat mentio de lege,* ut notat Glossa in idem caput ad verbum *noscatur.*

Sed quaestio est an derogatio generalis *Contrariis quibuscumque non obstantibus* sufficiat, an specifica derogatione opus sit, ex. gr. *Non obstante Constitutione Concilii Lateranensis.* Qua in re praemittendum est, usque ad saeculum XIII eum morem in Romana Ecclesia viguisse, ut in rescriptis aliisque Constitutionibus, quae juri communi aut Conciliis generalibus adversarentur, clausula specialis derogationis nunquam aut raro adhiberetur, quod Passerinus demonstrat ad caput *Licet* de Const. in 6. Sed postquam Innocentius III in Concilio generali Lateranensi statuit, *ne quis ultra duas diaetas extra suam Dioecesim per litteras apostolicas ad judicium trahi posset, nisi de assensu partium fuerint impetratae, vel expressam de ipsa Constitutione fecerint men-*

tionem; et Honorius III in cap. *Ex parte* de Cappellis Monach. apostolicas litteras non ratas habuit ob eam causam, quod *obviarent Lateranensi Concilio, de quo nulla esset mentio in litteris antedictis*, tum primum controversia orta est, quam supra proposuimus. At vero textus Innocentii III, et Honorii III adeo perspicui sunt, ut interpretes accuratiores existiment, derogationem expressam et specialem desiderari, ubi rescripta a generalis Concilii decreto aliena sint: ceteris autem Canonibus et Constitutionibus Summorum Pontificum necesse non esse, ut speciatim derogetur, sed generalem derogationem satis haberi, siquidem dicti textus de solis Conciliis verba faciunt: excipiendas tamen esse regulas Cancellariae, quibus ex regula 71 nunquam derogatum censetur per quaecumque verba et decreta derogatoria, irritantia, universalia, et amplissima, nisi ipsarum mentio disertis verbis habeatur.

Verum decreta Concilii Tridentini specialem derogationem non postulant; cum enim Concilium ipsum, ut inquit Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. XIII cap. 24 num. 23, *perspicue declaraverit, sess. 25 cap. fin., omnia et singula sub quibuscumque clausulis et verbis, quae de morum reformatione atque ecclesiastica disciplina in eo statuta fuerunt, ita statuta et decreta intelligi debere, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicae et sit et esse intelligatur; hoc satis est ut removeatur necessitas expressae derogationis, proindeque sufficiat ad hoc, ut derogatum censeatur oppositae conciliari sanctioni, si Pontifex aliquid ipsi contrarium indulserit, aut*

decreverit, supplicemque libellum, seu alias archetypum litterarum apostolicarum exemplar sua ipse manu signaverit, juxta definitionem editam a S. Pio V per schedulam sui motus proprii relatam a Garcia de beneficiis part. 4 cap. 5 num. 32 et 33.

§. 32.

DE EXECUTIONE ET CESSATIONE RESCRIPTORUM

Rescripta Apostolicae Sedis nonnisi viris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Canonicis ecclesiarum cathedralium exequenda committi solent. Antequam vero executor rem commissam ad exitum deducat, inquirat oportet num preces veritate nitantur. Quamobrem rescriptum exequi non debet, si obreptionem, aut subreptionem, aut aliud in eo vitium compererit.

Pluribus vero modis rescripta cessant.

1.° Rescripta justitiae concedentis morte expirant, si res adhuc integra sit; res autem per litis contestationem, aut saltem per citationem integra esse desinit. Verum rescripta gratiae, etiamsi res adhuc fuerit integra, per obitum concedentis non expirant (c. 16 de *R. J.*, et c. 9 de *Offic. Deleg.* in 6).

2.° Rescripta cessant lapsu temporis praefiniti. In rescrisptis justitiae terminus ad finiendam causam, si in rescripto praefinitus non sit, judicis delegati arbitrio praefiniri poterit. Si vero dies praefinita sit, delegatus intra eam diem munere suo fungi debet, ne jurisdictio sibi commissa evanescat (c. 24 de *Off. Judic Deleg.*).

Sed quia terminus in commodum partium constituitur, ideo potest ipsarum consensu prorogari (cap. 4 eodem).

3.° Rescripta gratiae ad vitam Pontificis concessa intelliguntur, si hanc clausulam praeferant *ad Beneplacitum Nostrum:* non item rescripta, quibus adjecta clausula *ad Beneplacitum Sedis Apostolicae,* quia Sedes non moritur (c. 5 *de Rescript* in 6). Universim vero si rescripta gratiae nullo temporis spatio alligata sint, perpetua habentur, videlicet duratura ad ejus vitam, qui rescriptum consequutus est. At rescripta justitiae haeredibus et successoribus etiam prosunt; nam rescripta gratiae personam, rescripta justitiae causam praecipue spectant.

4.° Rescripta cessant morte ejus, cui executio rescripti mandata fuit; si tamen industria et fides personae electa sit, idque intelligitur, ubi res committitur per haec verba *Fidei et diligentiae tuae committimus - discretioni tuae mandamus - super quibus conscientiam tuam oneramus - per te expediri mandamus - ut personaliter exequaris,* et similia. Si vero delegatio non personae, sed dignitatis intuitu facta sit, ut si dicatur *Vicario Capitulari,* vel *Ordinario Parisiensi,* tum potestas exequendi rescripti transit ad successores, cum dignitas non intereat.

De rescriptis satis dictum est, qua in re fortasse etiam plus versati sumus, quam opus esset. Si quis tamen aliquid amplius scire desiderat, videre poterit Gonzalez, Pirhing, Schmier, aliosve Interpretes Decretalium ad lib. 1 tit. 4 *de Rescriptis.*

DE CONCILIIS

§. 33.

DE CONCILIORUM DEFINITIONE

Concilium, si vim nominis spectes, est hominum multitudo in unum locum ad consulendum congregata. Itaque Concilii nomine in re ecclesiastica venit *conventus catholicorum Antistitum ad negotia fidei, morum, et disciplinae tractanda rite legitimeque celebratus*. Ex qua definitione consequitur 1.° a solis Ecclesiae Antistitibus ecclesiastica Concilia celebrari, non item a laicis, quibus nullum suffragii jus in Synodis esse potest; namque potestas CLAVIUM in solos Antistites divinitus collata est. Sane in Concilio Apostolorum de controversia legalium habito TACUIT OMNIS MULTITUDO, et Apostoli atque Seniores sententiam dixerunt. Consequitur 2.° non omnem coetum Episcoporum legitimum Concilium esse, sed illum tantum, quo debita Concilii habendi forma servata sit.

Id vero totum quod servandum est, ut Concilium rite habeatur, ad tria praecipue capita revocatur, nempe ad *convocationem*, ad *celebrationem*, et ad *confirmationem*, de quibus pertractabimus.

§. 34.

DE CONCILIORUM GENERALIUM CONVOCATIONE

Ad Concilia generalia universi christiani orbis Episcopi vocari debent. At necesse non est, ut omnes omnino

conveniant: nullum quippe Concilium hactenus celebratum est, cui universi Episcopi interfuerint. Itaque sufficit aliquot ex diversis Ecclesiae provinciis Episcopos convenire, ita quidem ut eorum conventus, inspectis locorum personarum, et temporum adjunctis, Concilium generale dici possit.

Jus vero generalem Synodum indicendi ad eum tantummodo pertinet, cujus est judicare de ipsius convocationis legitima causa; quique jubere potest Episcopos in in unum locum venire et convenire, imo et permanere, donec coetus legitime dimittatur. Jam vero illud judicium et ea potestas unius Romani Pontificis est, cum ipse unus a Christo sit Princeps et Caput totius Ecclesiae constitutus, et Episcopi omnes ejus dicto audientes esse debeant.

Itaque in Concilii Chalcedonensis act. 1 Lucentius Asculanus Episcopus S. Leonis Magni Legatus illud Dioscoro Alexandrino Patriarchae crimini vertit, *quod Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, aut factum est.* Et S. Theodorus Studita ad S. Leonem III ita scribebat ep. 33 lib. 1: *Orthodoxam Synodum absque cognitione Vestra cogere non potuerunt.*

Atque hoc quidem Romani Pontificis jus semper catholici omnes agnoverunt, factoque comprobatum est; namque omnia generalia Concilia auctoritate ipsius Romani Pontificis convocata fuerunt. Quod si scriptores aliqui memoriae tradiderunt antiquissima Concilia Orientalia ab Imperatoribus indicta fuisse, id omnino factum

est ex Summi Pontificis sententia et consensu, cujus quidem rei apud Bellarminum, aliosque Theologos perspicua testimonia reperiuntur. Quapropter ea Concilia ideo legitima sunt habita, quod Imperatoris consilium Summi Pontifices probarunt, miseruntque Legatos, qui Synodis praesiderent. Porro haec utriusque potestatis ecclesiasticae et civilis consensio Synodorum celebrationi mirum in modum favebat, tum quia paupertati Episcoporum sic quodammodo consulebatur, iis enim *tractoriae* ita dictae epistolae dabantur, ut eis vehicula et annona publicis impensis suppeditaretur, tum etiam quia indictae Synodi Imperatorum tutela munitae placatius celebrabantur, earumque decreta expeditiorem habebant exitum. Itaque auctoritas convocandae generalis Synodi ad Pontificem pertinebat, exterius autem praesidium ad Imperatorem: illa ad Pontificem spectat ratione Primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam; hoc vero ad Imperatorem ratione officii, quod ipsi incumbit Ecclesiae defendendae.

Bellarminus lib. I de Conc. cap. 14 ad secundum et tertium dubium respondet, *in nullo casu sine Pontificis auctoritate posse convocari verum et perfectum Concilium, de quo hic nos disputamus, quod videlicet auctoritatem habet definiendi quaestiones fidei. Praecipua enim auctoritas est in Capite, sive in Petro, cui imperatum est, ut confirmet fratres suos, et ideo etiam pro eo Dominus oravit, ne deficeret fides ejus (Luc. 22). Poterit tamen in illis duobus casibus (nempe quando Papa non debeat illud indicere, eo quod sit haereticus vel schismaticus, et quando non posset illud indicere, eo quod esset captivus apud infideles, vel mortuus, vel insanus effectus, aut*

renunciasset) congregari Concilium imperfectum, quod sufficiet ad providendum Ecclesiae de Capite. Ecclesia enim sine dubio habet auctoritatem providendi sibi de Capite, quamvis non possit sine Capite statuere de multis, de quibus potest cum Capite, ut recte docet Cajetanus in opusculo de potestate Papae cap. 15 *et* 16; *et multo ante Presbyteri Romanae Ecclesiae in epistola ad Cyprianum, quae est septima lib.* 2 *in operibus Cypriani. Porro Concilium istud imperfectum fieri poterit, si vel indicatur a Collegio Cardinalium, vel ipsi per se Episcopi in locum unum conveniant.* Idem dicito de Pontifice dubio.

§. 35.

DE CONCILIORUM GENERALIUM CELEBRATIONE

Convocationem sequitur celebratio. De celebratione autem tria quaerenda sunt. Primo quidem cuinam Conciliis generalibus praesidendi jus sit; deinde quibusnam sit jus suffragii ferendi; et denique quaenam sit forma sive ratio in Conciliis habendis observanda.

Jam vero ad illud, quod primo loco propositum est, respondemus jus praesidendi Conciliis generalibus ad eum pertinere, qui ceteris auctoritate praestat. Sic videmus in conventibus omnibus eum, qui potestate major est, ceteris jure suo praeesse. Cum itaque Summus Pontifex propter Primatum, quem a Christo accepit, reliquis Episcopis potestate antecellat, plane consequitur, jus sive per se sive per suos Legatos generalibus Conciliis praesidendi ad Primatem Ecclesiae pertinere. Quo etiam spectat jus proponendi ea, de quibus in Conciliis agendum erit, priorisque sententiae dicendae: cujus quidem rei in Concilio

Hierosolymitano (act. 15) Apostolorum exemplum et normam habemus.

Quod vero ad secundam quaestionem attinet, tenendum est, potestatem suffragii decisivi ferendi seu definiendi solis Episcopis divinitus concessam esse. Cum enim jus definiendi ea, quae credenda, quaeve agenda sunt, a potestate pascendi regendique proficiscatur, ii tantum, qui jure divino Pastores et Doctores in Ecclesia constituti sunt, eodem jure divino suffragium ferunt, propositasque quaestiones definiunt. Hujusmodi vero sunt Episcopi soli, quibus dictum est: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quapropter Episcopi in Conciliis generalibus non consiliarii, non consultores, sed veri judices sunt: atque adeo praeclare dictum est a Bellarmino de Conciliis Ecclesiae lib. I cap. 18, *consessum Episcoporum in Conciliis legitimis esse verum judicum consessum.*

Praeter Episcopos solent insuper Cardinales non Episcopi, Abbates, et Praepositi generales Ordinum Regularium suffragium ferre, quippe qui jurisdictione quasi episcopali potiuntur. Sed ex mera Ecclesiae concessione et privilegio id factum est, ut quam facultatem vi characteris non habent, eamdem vi dignitatis obtinerent.

Principes insuper et Imperatores vel per se vel per suos Legatos adesse Conciliis generalibus consueverunt, non quidem tamquam judices, ut vel de fidei dogmatibus, vel de rebus ecclesiasticis sententiam dicerent: *Nefas est enim,* ajebat Theodosius junior in epist. ad Ephesinam Synodum, *qui SS. Episcoporum catalogo adscri-*

ptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere; sed ut Patrum securitati prospicerent, tumultus compescerent, et Conciliorum definitiones atque decreta sua auctoritate tuerentur.

Quin etiam interdum constat presbyteros et diaconos Conciliis generalibus interfuisse, praesertim ut adversus haereticos disputarent. Qua de re dignus in primis memoratu est Athanasius, qui adhuc diaconus in Nicaena Synodo adversus Arianos disputavit.

Tandem et legitime absentes Episcopi procuratores suos ad Concilia mittunt. Hisce procuratoribus facultatem ferendi suffragii mere consultivi Pius IV impertivit.

Tertio denique loco quaerebatur, quaenam sit forma, sive modus in Conciliis habendis observandus. Jam vero canonica celebrandi Concilii forma in eo posita est: 1.° Ut sit libertas in judiciis; acta enim per vim et metum ipso jure sunt irrita. Hinc Concilium Ephesinum II, in quo sententia a Dioscoro arte, minis, et terroribus extorta est, Synodus praedatoria, latrocinalis, et latrocinium appellatur. 2.° Fraus omnis abesse debet: qua de re Patres Ariminenses sic loquentes inducit Hieronymus adversus Luciferianos: *Putavimus sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis aestimatio.* 3.° Sufficiens examen: sic enim legimus in Concilio Apostolorum magnam disquisitionem factam esse. Neque enim Ecclesiae fiunt novae revelationes, sed Deus pollicitus est eidem Ecclesiae praesidium suum, ne unquam in ve-

ritatibus fidei investigandis atque definiendis in errorem laberetur. At vero postquam Concilium definivit, nullus dubitandi locus relinquitur, quin Concilium in suis definitionibus diligentiam et sufficiens examen adhibuerit. Nam, ut optime disserit Melchior Canus lib. V de loc. theol. cap. 5 quaest. 3, *Deus suaviter omnia disponit, simulque prospicit et finem et media ad finem necessaria. Quod si semel haereticis hanc licentiam permittimus, ut in quaestionem vocent, num Ecclesiae judices eam diligentiam et curam adhibuerint, qua opus erat, ut quaestio via et ratione finiretur, ecquis adeo caecus est qui non videat, omnia mox Pontificum Conciliorumque judicia labefactari?*

§. 36.

DE CONCILIORUM GENERALIUM CONFIRMATIONE

Eugenius IV in decreto super unione Jacobitarum: *Suscipit*, ait, *sancta Romana Ecclesia omnes universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime congregatas, ac celebratas, et confirmatas.* Non dixit congregatas ac celebratas, sed etiam CONFIRMATAS, ut ostenderet Concilia generalia, nisi a Romano Pontifice confirmentur, illegitima esse, idest vacua pondere et auctoritate. Itaque ad robur, ad firmitatem, et complementum Conciliorum necesse est, ut iis, quae definita decretaque a Conciliis fuerunt, Pontifex suo assensu accedat, eaque rata habeat, suaque auctoritate confirmet.

Cujus quidem confirmationis necessitas ex ipsa Conci-

liorum generalium notione demonstratur. Namque generalia Concilia idcirco habentur, non modo ut ea decernantur, quae ad Ecclesiae gubernationem spectant, sed praesertim ut de fidei morumque quaestionibus judicetur. Jam vero judicium Episcoporum de fidei morumque quaestionibus, etiamsi ii in Concilium convenerint, non adeo exploratae auctoritatis est, ut errori obnoxium esse nequeat; ideoque haereticus non erit, qui illud in dubitationem vocet, vel etiam ab eo dissentiat. Qua super re Cajetanus, Turrecremata, Canus, aliique nobilissimi scriptores mirifice consentiunt. Ut igitur hujusmodi Episcoporum judicium ad catholicum dogma pertineat, necesse omnino est, ut a Romano Pontifice confirmetur.

Sed ajunt Episcopos, dum in generale Concilium congregati sunt, errare non posse, propterea quod Ecclesiam repraesentant, quae est *columna et firmamentum veritatis*. Verum Ecclesia Christi UNA est sub UNO visibili Capite, et idcirco ad ipsius integritatem unio membrorum cum Capite postulatur. Ubi itaque haec unio desit, Ecclesia non erit; hinc a S. Ambrosio Enarratione in psal. 40 n. 30 sapientissime dictum est: UBI PETRUS, IBI ECCLESIA.

Multa sunt alia argumenta, quae hanc sententiam apertissime comprobant; sed paucis contenti erimus. Jam vero Concilia generalia hactenus celebrata confirmationem eorum, quae definita gestaque fuerant, a Summis Pontificibus petierunt. Non id profecto egissent, nisi necessarium existimassent. Patres Nicaenae Synodi in epistola ad Silvestrum Papam *Quidquid*, ajunt, *constituimus, precamur ut Vestri oris consortio confirmetur*. Et Silvester eidem

Synodo rescribens: *Confirmo*, inquit, *figoque ad doctrinam vestram reclamantes de unitate Trinitatis.* Et Patres Concilii Chalcedonensis acta ipsa ad S. Leonem Magnum mittentes (Mittimus), inquiunt, *ad eorum, quae a nobis gesta sunt, firmitatem.*

Et cum essent in Oriente, qui Acta Chalcedonensis Concilii ob eam causam non reciperent, quod, ut ajebant, a Romano Pontifice confirmata non fuerant, Marcianus Imperator a Leone ipso magnopere postulavit, ut litteras mitteret, *per quas*, inquit, *omnibus Ecclesiis et populis manifestum fiat, in sancta Synodo peracta a Tua Beatitudine rata haberi.*

Denique totius Ecclesiae consensus haec omnia, quae dicta sunt, manifeste declarat. Namque Ecclesia Catholica ea tantum Concilia tamquam legitima recipit, quae Summi Pontifices probaverunt; ea contra rejicit tamquam illegitima, quae ab ipsis Pontificibus reprobata fuisse noscuntur.

Cabassutius Notitia ecclesiastica saeculi XVI in Concil. Trident. num 95: *Constans est catholicorum persuasio, posse errori succumbere Concilia quantumvis numerosa, nisi approbatione supremi totius Ecclesiae Capitis, ac Petri sucessoris muniantur, cui Christus ipse promisit; SUPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM MEAM, ET PORTAE INFERI NON PRAEVALEBUNT ADVERSUS EAM. Matth. 16; et Luc. 22: EGO ROGAVI PRO TE, UT NON DEFICIAT FIDES TUA. Nec sufficienter adest totum Ecclesiae corpus, si reliquis membris caput ipsum non concurrat, vel suffragetur. Idcirco Damasus Pontifex in romano praesidens Concilio Ariminensem synodum multo Nicaena numerosiorem damnavit, qua perfidia ariana*

confirmabatur. De qua haec ipsemet ad Illyrici Episcopos scribit: « neque enim praejudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregotum: quando neque romanus Episcopus, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum..... talibus praebuit consensum ». Eodem spectat altera ista ejusdem Damasi ad Stephanum, et concilium africanum scribentis epistola: « nostis, synodum sine ejus (loquitur de romana cathedra) auctoritate fieri, non esse catholicum: neque ulla unquam concilia rata leguntur, quae non sint fulta apostolica auctoritate ». Atque ante Damasi tempora Julius Pontifex in sua ad orientales Episcopos epistola, quam integram refert Athanasius (Apol. 2, et exparte Socrates lib. 2 cap. 17, et Sozomenus lib. 3 cap. 10) diserte asserit, fuisse a sanctis Apostolis traditum, deinde in magna (hoc est Nicaena synodo) declaratum, non posse ullam convocari synodum inconsulto, aut invito romano Pontifice.

De confirmatione Conciliorum generalium agunt Petrus Ballerini *De potestate Summ. Pontificum, et Conciliorum generalium* cap. 2, 3 et 4, et Ioannes Baptista Bartholi *Institution. Juris Canonici* cap. XXII, et XXIII.

§. 37.

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS

Scriptores praesertim veteres solebant particulares Synodos bifariam partiri, in *provinciales*, et *dioecesanas.* Sed provincialium Synodorum nomine tum nationales, tum provinciales intelligebant. Nos itaque majoris perspicuitatis gratia Concilia particularia dividimus in *nationalia, provincialia,* et *dioecesana.*

Nationalia sunt, quae a Patriarchis vel Primatibus alicujus regni vel nationis, convocatis totius regni vel

nationis Episcopis, celebrantur. Haec quandoque *universalia* seu *plenaria* dicta sunt, non simpliciter quidem, sed comparate ad illud regnum vel nationem, ubi habita fuerunt. Sic Africana Synodus vocata est *plenaria* a S. Augustino, non simpliciter quidem, sed comparate ad totam Africam.

Romani etiam Pontifices Metropolitas et Episcopos Italiae ad Synodos convocare consueverunt: recteque observat Bellarminus lib. de Clericis cap. 16, *quod primis sexcentis vel octingentis annis Summi Pontifices ad graviora negotia dijudicanda cogebant Concilia nationalia Episcoporum Italiae.*

Concilia provincialia ea sunt, ad quae Metropolita omnes suae provinciae ecclesiasticae Episcopos convocat. Nicaena Synodus can. 4 jussit, Concilia provincialia singulis annis, et Tridentina Synodus sess. 24 cap. 2 de reform. saltem tertio quoque anno celebrari.

In Conciliis provincialibus et nationalibus graviores causae de fide et disciplina ecclesiastica quondam agebantur. *Si causa fidei est*, inquiunt Patres Concilii Toletani IV can. 3, *aut alia, Ecclesiae generalis totius Hispaniae et Galliae Synodus convocetur.* Verum omnes majores causae Summis Pontificibus reservatae fuerunt; qua de re in Jure publico ecclesiastico dicturi sumus. Nunc itaque nationalia et provincialia Concilia non amplius in pertractandis fidei et morum, aliisque majoribus causis versantur, sed tantummodo in iis negotiis, quae ad rectam nationis vel provinciae administrationem pertinent.

Denique dioecesana Concilia sunt, quae ab unoquoque Episcopo celebrantur. Quinam ad hasce Synodos vocandi, quaenam res in iis tractandae, quaenam formae et solemnitates adhibendae, multa eruditionis et doctrinae copia explicat Benedictus XIV in opere *De Synodo Dioecesana.*

Constitutiones in Synodo dioecesana latae statim promulgantur; neque enim opus est, ut ante earum promulgationem a Summo Pontifice, vel a Sacra Congregatione Concilii approbentur. Contra vero Concilia provincialia ad eamdem Sacram Congregationem, vel ad Summum Pontificem ipsum ante promulgationem mittenda sunt, quod Sixtus V constituit.

Si quis desiderat cognitam habere historiam Conciliorum, eorumque decreta, et canones, videat Carolum Richard in *Analysi Conciliorun generalium, et particularium,* et Joseph Biner in *Apparatu eruditionis ad jurisprudentiam praesertim ecclesiasticam.*

§. 38.

DE AUCTORITATE CONCILIORUM

Concilia generalia auctoritate Summi Pontificis confirmata in fidei morumque definitionibus errare non possunt, ita ut haereticus habendus sit, qui ejusmodi definitionibus non assentiatur, vel etiam de iis pertinaciter dubitet. Judicium enim Episcoporum, qui cum Romano Pontifice consentiunt, judicium Ecclesiae est, quae in fidei morumque doctrina nulli plane errori obnoxia esse potest.

Praeterea jus ferendarum legum in Conciliis generalibus residet. Itaque leges, sive disciplinae canones ab iisdem Conciliis constituti ad universam Ecclesiam pertinent, et ab omnibus servandi sunt.

Verum quod attinet ad Concilia particularia, quando ex veteri disciplina de rebus dogmaticis judicabant, eorum judicia probabilem fidem faciebant, non vero certam et falli nesciam. Ubi vero auctoritate Summi Pontificis confirmabantur, tum certam et *infallibilem*, ut ajunt, auctoritatem consequebantur. Itaque eadem decreta vix edita ad Summum Pontificem probanda mittebantur, quod ostendit Thomassinus diss. IX in Concilia. Sic errores Helvidii, Pelagii, et Priscilliani in Conciliis provincialibus Thelensi, Africanis, et Toletano condemnati sunt, et eorumdem Conciliorum *irreformabile* judicium habitum est, postquam confirmatio Apostolicae Sedis accessit.


Decreta vero, sive disciplinae canones a particularibus Conciliis conditi vel nationem, vel provinciam, vel dioecesim afficiunt, prout Concilia vel nationalia, vel provincialia, vel dioecesana fuerint, quandoquidem eorumdem Episcoporum potestas suarum dioecesium finibus continetur.

Plerique Theologi et Canonistae disputant, utrum Concilium generale sit superius Pontifice, an inferius? Hac de re satis multa dicta sunt in utramque partem, quae omnia referre nimis longum esset: pauca tamen brevissime indicabimus. Nostra itaque sententia est, potestatem Concilii generalis inferiorem esse potestate Summi Pontificis. Enimvero potestas Conciliorum generalium superior esset, vel ratione *auctoritatis episcopalis*,

vel ratione *collectionis,* vel ratione *repraesentationis.* Sed talis non est ratione auctoritatis episcopalis, quia episcopalis jurisdictio finibus dioecesium, quibus praefecti sunt, circumscribitur, ex indole vero et forma hierarchiae divinitus institutae Summo Pontifici subiacet. Non ratione collectionis, nam nihilo plus Episcopi possunt in unum collecti, quam possint sejuncti; materialis enim in unum locum congregatio distinctas inter se potestates non conjungit, neque extra suos limites protrahit. Non denique ratione repraesentationis, nam ex sententia S. Ambrosii, quem supra laudavimus: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia;* adeoque si Episcopi in Concilio collecti cum Summo Pontifice intelligantur, tum quidem Ecclesiam universam repraesentant; sed Pontifex in eo casu neque supra Concilium est, neque infra Concilium, sed in Concilio, uti caput in corpore, quod in se collectionem illam distinctarum potestatum tamquam in commune centrum unitatis conjungit atque copulat. At si Episcopi sine Romano Pontifice, vel citra ejus auctoritatem collecti intelligantur, conventum facere possunt, Concilium generale et legitimum nullo modo. Ecquod enim Concilium generale et legitimum sine Romano Pontifice, qui nobilissima est, et potissima Ecclesiae pars? Aut quomodo poterunt diversarum Ecclesiarum Episcopi congregati Ecclesiam universam, quae una est, sine suo Capite repraesentare?

Praeterea sunt alia firmissima argumenta, quae Pontifici favent. Christus siquidem CLAVES regni Caelorum, supremae potestatis indicia, Petro tradidit, eique concredidit oves et agnos, fideles nempe et Pastores sine ulla dispersam inter et congregatam Ecclesiam distinctione: ex quo perspicuum est, Summos Pontifices Petri Successores tum Episcopis dispersis, tum eisdem congregatis superiores esse. Et profecto si Episcopis singulis, quod ex fide catholica profitemur, Pontifex divino jure superior est, non minus in Conciliis, quam extra Concilium superior erit, nam et in Concilio et extra Concilium semper praeest Primatu jurisdictionis.

Denique, ut cetera omittam, ad annnm usque 1395 nemini in mentem venit Pontificem Maximum generali Concilio subesse; eaque nova opinio ex medio schismatis incendio orta est. Rem narrat Petrus Ballerini in lib. de potest. eccl. Sum. Pontif., et Concil, gen. cap. 5 §. 3, recteque animadvertit, *ipsam quidem novitatem opinionis, que in tota antiquitate nulla congrua auctoritate, nullo exemplo fulcitur, satis per se ipsius opinionis falsitatem detegere.* Profecto catholicae veritatis regula est, certumque criterium, quod a Patribus in omni de religione controversia perpetuo usurpatum his verbis Tertullianus complexus est, *id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod est posterius immissum.*



DE JURE NATURALI

§. 39.

DE VARIIS JURIS NATURAE PRAECEPTIS

Nemo dubitat, quin sibi a Deo legem in animo insitam esse sentiat qua bonum a malo, honestum a turpi, justum ab injusto possit secernere (Catechis. Rom. de Decal. observatione). Haec autem naturae lex est, sive Jus naturale, quam legem auctor Deus humanis mentibus impressit consignavitque, perque rationis lumen quid agendum, quidve fugiendum sit manifestat, et quasi promulgat, eique legi universum genus hominum perpetuo parere voluit.

Sed non omnia hujus Juris praecepta sunt eadem evidentia homini comperta et explorata. Prima quidem, et generalia principia confestim percipiuntur, veluti *Bonum est faciendum, malum est fugiendum - Deus est colendus - Quod tibi non vis fieri, alteri non est faciendum*. Sunt etiam qaedam praecepta, quae facili et perspicua argumentatione ex primis principiis eliciuntur, et quasi naturaliter fluunt, qualia sunt Decalogi praecepta.

Sed multa sunt moralia praecepta a primis principiis valde remota, quorum cognitio ardua prorsus est et difficillima. Quapropter homo, qui solam rationem ducem sequitur, non modo in conclusionibus remotis, sed etiam in proximioribus saepe fallitur, propterea quod humanae rationis lumen ex primi hominis labe non illud quidem deletum est, sed tenebris adeo circumfusum, ut mens facillime in errores turpissimos labatur. Hujus rei testes sunt universi gentiles philosophi, qui etsi ingenio et studio plurimum valerent, gravissime tamen in multis erraverunt, quae ad Jus naturae pertinebant. Neque feliciores extiterunt recentiores philosophi, qui, sola ratione duce, se sapere et intelligere plus quam ceteros arbitrati sunt, ii scilicet philosophiam moralem tot perfuderunt erroribus, pravisque opinionibus, ut fundamenta morum ipsiusque societatis humanae labefactarent.

Nulla igitur acies humanae mentis tanta est, quae omnia praecepta morum perspicere possit, nisi divinum revelationis lumen accedat: proindeque necesse omnino est revelationem, caelestem hanc vitae ducem et officiorum magistram sequi, sine qua homo numquam poterit ad veram Juris naturalis intelligentiam pervenire.

§. 40.

DE USU ET AUCTORITATE JURIS NATURALIS IN JURISPRUDENTIA CANONICA

Duo in usu juris naturalis errores vitandi sunt; alter eorum est, qui argumenta juris naturalis ab ecclesiastica jusisprudentia ita removent, ac si utraque disciplina sibi esset adversa: alter eorum est, qui plus aequo rationi tribuunt, dum omnia indiscriminatim ex naturali jure definiunt. In primo errore illi versati sunt, qui in pactis et obligationibus interpretandis, in hominum officiis exponendis, in explicandis legibus quae a jure naturali depromptae sunt, nullam ejusdem juris naturalis rationem habuerunt. In alterum errorem, et eum quidem perniciosissimum delapsi sunt in primis Protestantes, qui in jurisprudentia canonica universa primum et potissimum locum juri naturali tribuerunt, eo sane consilio, ut sacrum Ecclesiae regimen et hierarchiam omnino destruerent. Igitur haec vitia declinabimus, si regulas sequentes adhibeamus.

Prima est: *In jure publico ecclesiastico, ubi de statu, seu constitutione, et potestate Ecclesiae quaestio est, nullus est usus juris naturalis, sed juris divini positivi.* Debuit sane Deus ordinem aliquem, ac propterea regimen in Ecclesia instituere, quandoquidem quae a Deo sunt, ordinata sunt: qualem autem regiminis formam instituerit, cum ea res ex divina voluntate pendeat, non ex principiis juris naturalis definienda est, sed ex Litteris

Sacris et Traditione; quibus ex fontibus, quid Deus voluerit et constituerit, intelligitur. Ad rem Endres in dissert. de necessario jurisprudentiae naturalis cum ecclesiastica nexu et usu cap. 3 §. 7 inquit: *Incaute, dicam, et inepte prorsus agere ii omnes deprehenduntur, qui an constitutum sit in Ecclesia a Christo ejusdem Conditore quoddam regimen, et cui, aut quibus id commissum sit, ex solo jure naturali, et recta ratione deducere, indeque unice vel jus circa Sacra Regibus atque Principibus adscribere, vel certam quamdam regiminis, si quod constitutum a Deo cum catholicis admittunt, formam praescribere conantur. Sicuti regimen ipsum ac potestas ex solo arbitratu divino pendebat; ita idem quoque dicendum de forma ejusdem regiminis, quae itidem nec juri naturali subjecta, nec alia esse potuit, quam qualem illam Christus supremus Ecclesiae et regiminis ejusdem Conditor esse voluit.*

Secunda est: *Posita natura, et fine, ex gr. alicujus Ordinis hierarchici, recte possumus vim potestatis eidem Ordinis convenientem ex ratione et jure naturali inferre.* Ita cum certum sit, Primatum Summi Pontificis institutum esse servendae unitatis causa, jure riteque infertur, omnem eam potestatem ex Christi institutione et jure divino Pontifici tributam fuisse, qua ad unitatem efficaciter conservandam opus erat, quia Deus, qui nec impotens nec improvidus est, dum finem voluit, media quoque contulit obtinendo fini idonea.

Tertia est: *In omnibus iis quae ad praecepta morum et justitiam naturalem pertinent, si leges positivae defi-*

ciant, jus naturale erit lex, ad quam judicia et negotia dirigenda erunt. Itaque argumento leg. fin. ff. de Jurisdict. recte concluditur, *deficiente jure gentium, lites inter Principes Summos ex naturali jure definiendas esse.*

Quarta est: *Cum Ecclesia nihil possit in divinis et naturalibus legibus derogare, immutare, dispensare, cognitio juris naturalis non modo utilis, sed necessaria est ad cognoscendum, quae leges sint naturales et proinde immutabiles; quae vero positivae adeoque derogationi, immutationi, et dispensationi obnoxiae.* Hinc Antonius Schmidt Institut. Juris Eccl. par. I cap. 7 *Atque,* inquit, *hoc ipsum est, cur intersit quam maxime nosse, an ex ipso jure naturae descendant, an ex sola auctoritate ecclesiastica.* Huc spectat can. 2 dist. 14, in quo haec leguntur: *Sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari.*

Denique jus naturae maxime valet ad legum aequitatem demonstrandam, atque ad easdem leges rite recteque interpretandas.

Qui verae solidaeque Juris naturalis doctrinae cupidus est, is auctores et magistros habeat Jacobum Zallinger in *Institutionibus Juris naturae privati et publici,* et in primis Ignatium Schwarz in *Institutionibus juris publici universi naturae et gentium.*

DE SCRIPTIS SANCTORUM ECCLESIAE PATRUM

§. 41.

DE NOMINE ET DIGNITATE SANCTORUM ECCLESIAE PATRUM

Ecclesiae Patres vocamus antiquos eosque insignes Scriptores Ecclesiasticos, qui post Apostolos et Evangelistas singulari providentia Dei Ecclesiae dati fuerunt, quique, ut ait Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio, *in fide et communione catholica sancte, sapienter, et constanter viventes, docentes, et permanentes vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt.* Patres idcirco dicti, tum propter antiquitatem, ex qua vox *Patrum Ecclesiae* ducta est, tum propter doctrinae praestantiam exemplaque virtutum, quibus permultos in Jesu Christo filios genuerunt. *Talibus Patribus*, inquit S. Augustinus lib. 2 contra Julianum, *post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit; et hi, quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Ipsi itaque sunt Sacrarum Scripturarum interpretes, Traditionis testes atque custodes, Praedicatores fidei, Praeceptores morum, Magistri canonum, adeoque ex eorum scriptis, tamquam ex fonte quodam puriori, doctrinam Ecclesiae disciplinamque haurire possumus.

suamque canonum collectionem adornavit, non temporum aut numerorum serie retenta, sed cunctis per materias in quinquaginta titulos distributis; agens primo de Episcopis, postea de Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis, ac reliquis inferioribus Clericis, postmodum de Monachis, et postremo de Laicis. Paulo post idem ad Episcopatum Constantinopolitanum evectus leges plures praesertim ex Justiniani Codice depromptas, servato eodem ordine rerum, collectioni suae adjecit, unde extitit prima origo *Nomocanonum*, idest collectionum, in quibus canones ecclesiastici cum legibus imperialibus conjunguntur.

At saeculo septimo nova ingensque canonum congeries nata est, cum Trullana Synodus praeter 102 canones ab se constitutos multa alia Synodorum, patrumque decreta comprobaverit. Quibus omnibus Photius, qui graeci schismatis vel auctor vel pars magna fuit, adjecit canones Concilii Nicaeni II, itemque canones in duobus conciliabulis ipso duce constitutos, suumque Nomocanonem concinnavit, qui apud graecos semper habitus est in summo honore et pretio. De minoribus graecorum collectionibus nihil expedit sermonem instituere. Unum illud monendum est, collectiones Joannis Scholastici, et Photii non esse omni suspicione et vitio vacuas; uterque enim in Sedem Constantinopolitanae Ecclesiae invasit, uterque schismati favit, et ad captandam Imperatorum gratiam, non tam Ecclesiae regulis, quam legibus imperialibus ecclesiasticam disciplinam communivit. Ad haec in primis Photius praeter Trullanos canones, quorum plures Ecclesia improbavit, alios congessit canones, qui fuerunt ad promovendum schisma constituti.

§. 50.

DE COLLECTIONIBUS LATINIS

Sexto ineunte saeculo Dionysius cognomento Exiguus, doctrina et pietate maximus, collectioni canonum in usum latinae Ecclesiae operam dedit. In ea enim 50 canones Apostolorum, tum canones graecos in graeco Codice, quo Patres Concilii Chalcedonensis usi sunt, descriptos, et elegantius latine redditos; tum canones ipsius Concilii Chalcedonensis, omisso ultimo de aequalibus privilegiis Episcoporum Romani et Constantinopolitani a latinis numquam recepto; tum etiam Sardicenses, et denique ex latinis 130 canones Africanos, partim ex Concilio Carthaginiensi, quod anno 419 celebratum est, partim in veteribus Africanis Synodis conditos, vel confirmatos congessit. Hanc novam et accuratiorem canonum collectionem, hortante Stephano Episcopo Salonitano, Dionysius aggressus est, propterea quod graecorum canonum latina versio (latina inquam versio, non latinae Ecclesiae Codex, seu canonum latinae Ecclesiae collectio) obscuritate et confusione laboraret. Simillimum vero est, priscam graecorum canonum latinam versionem eam esse, quae ab Henrico Justello, et Guillelmo Voello in Bibliotheca Juris Canonici vulgata est; eam tamen diligentius recognitam et emendatam Fratres Ballerini in appendice ad opera S. Leonis Magni ediderunt. Deinde vero Dionysius Romanorum Pontificum Decretales a Siricio usque ad Anastasium II addidit; quare Codex iste Dionysianum duabus partibus constat, quarum altera Conciliorum canones,

altera vero Pontificum Decretales complectitur. Hujusmodi collectio privata auctoritate confecta est, sed tamen ab Ecclesia Romana recepta probataque fuit, cum praesertim Adrianus I collectionem ipsam monumentis quibusdam auctam Carolo Magno Romae versanti dono dederit. *Neque enim fit verisimile,* ut observat Joannes Baptista Bartoli Jur. Can. Instit. cap. 47, *Pontificem Summum canonum Codicem quem non ipse omnino probaret, per Gallias aliasque regiones divulgari voluisse.*

An vero latinae Ecclesiae Codex aliquis ante Dionysianam collectionem extiterit; quis ejus auctor: quosnam canones complexus fuerit; num adhuc supersit; res parum explorata est. Id unum probabile est, aliquem Codicem in Romana Ecclesia extitisse; tum quia in Concilio Chalcedonensi ad unum Codicem Legati Pontificis, ad alium Graeci provocaverunt, quod manifesto argumento est, utrique Ecclesiae suum Codicem fuisse; tum quia Siricius Pontifex in ep. ad Imerium Episcopum Tarraconensem *Statuta,* inquit, *Sedis Apostolicae, vel canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum.* Quod frustra Pontifex jussisset, nisi Codex in promptu fuisset, ex quo Sacerdotes sacrorum canonum notitiam haurire potuissent. Nec illud obstare videtur, quod Innocentius I in ep. ad Theophilum conscripserit: *Alium enim canonem (praeter Nicaenos) Romana non admittit Ecclesia;* et in ep. ad Clerum Costantinopolitanum: *Quod ad canonum observationes attinet, solis illis parendum esse dicimus qui Nicaeae definiti sunt, quos solos sectari et agnoscere debet Ecclesia catholica.* His enim verbis

significare tantum voluit, canones omnes rejiciendos esse, qui Nicaenis adversarentur, quemadmodum ipsemet Innocentius sententiam suam declaravit, ita subdens: *Si autem alii proferantur, qui a Nicaenis canonibus dissentiant, ii ab Episcopis catholicis rejiciantur.*

Christophorus Justellus Codicem edidit sub hoc titulo « *Codex canonum Ecclesiae universae* »; et illum esse jactavit, quo Concilium Chalcedonense usus est, quique ante Concilium ipsum non solum in Occidentali Ecclesia, verum etiam in Orientali auctoritatem obtinebat. Quesnellus in appendice operum S. Leonis Magni alium Codicem protulit, quo Romanam Ecclesiam ante Dionysium Exiguum usam esse contendit. Sed utrique Codici nec auctoritas nec fides ulla ab eruditis tributa est. De his omnibus fuse tractarunt Fratres Ballerini de antiquis collectionibus canonum part. I cap. 1 n. 7 et seqq. Coustantius in praef. ad ep. Rom. Pontif. et Joannes Bartoli Jur. Can. Instit. cap. 46.

Non erit abs re commemorare, eumdem Christophorum Justellum edidisse Codicem, cui titulus « *Codex canonum Ecclesiae Africanae* », in quo, ut ait Coustantius cit. loco, *nil praestat minus, quam quod pollicetur. Crederes enim in eo contineri canones prorsus omnes, quos habuere in usu Africani Patres. Alios vero nullos exhibet, nisi quos Carthaginiensis Synodus anno* 419 *vel ipsa condidit, vel a superioribus Conciliis intra Aurelii Episcopi Carthaginiensis tempora conditos recitari sibi jussit. Atque hos canones ne ad eum quidem repraesentat modum, quo memoratae Synodi actis inserti erant, sed quo Dionysius*

Exiguus collectioni suae inserendos duxit. Verbo dicam, purum putum est Dionysianae collectionis segmentum. Collectioni Dionysii Exigui additamenta facta sunt tum in priori, tum in posteriori parte per studiosum quempiam hominem adhuc ignotum, non vero per ipsum Pontificem Adrianum, quamvis ea collectio sic aucta soleat *Adriana* vocari. Passim etiam vocata est *Codex Canonum*; quam rem docte illustrat Petrus Coustantius in dicta praef. num. 131.

§: 51.

DE COLLECTIONE ISIDORI MERCATORIS

Collectio canonum, quae Isidori Mercatoris vel Peccatoris vulgo dicitur, ineunte saeculo IX prodiit. Haec autem collectio post praefationem exhibet ordinem celebrandi Concilii, dein 50 priores Canones Apostolorum, tum epistolas priorum Pontificum a S. Clemente usque ad Silvestrum, mox decreta Nicaeni, et aliorum Conciliorum sive graecorum sive latinorum in certas classes distributa, postremo reliquas Summorum Pontificum Decretales epistolas usque ad S. Gregorium Magnum.

Quis fuerit Isidorus iste Peccator, sive Mercator, adhuc ignotum est. Illud vero certum, Isidorianam collectionem tantum auctoritatis apud omnes consequutam esse, quanta veris sincerisque canonibus et Decretalibus deberetur; neque solum in totam Occidentalem Ecclesiam, sed in Orientalem quoque penetravit; quandoquidem Nicephorus Hist. Eccl. lib. 4 cap. 39 litteras Antheri, et Callixti

memorat, licet per errorem pro Callixto nominet Caelestinum. Hinc Theologi omnes, et Canonistae, et Concilia ipsa Decretalibus, aliisque documentis Isidorianae collectionis usa sunt, ut fateri quisque debeat, per annos fere septingentos, aut non multo secus, neminem unum inventum esse, qui eadem monumenta supposita et ementita suspicaretur. At primus omnium, qui tranquillam Isidori possessionem turbavit, Cardinalis Cusanus fuit in Concordantia Catholica lib. III cap. 2. Vixit autem Cusanus medio fere saeculo XV; quamobrem Centuriatores Magdeburgenses, qui sexto decimo saeculo scripserunt, neutiquam gloriari possunt, ejus collectionis imposturam se primos omnium detexisse. Tum a permultis catholicis, aliisque viris eruditis diligentius in eam collectionem inquisitum est, et argumenta ad probandam suppositionem adeo firma allata sunt, ut nemo jam de fallacia Isidori ambigere jure possit. Praecipua argumenta sunt: 1.° Scriptorum veterum silentium; nam Isidorianae collectionis monumentorum, et potissimum Decretalium epistolarum, quae partim ad fideles omnes, partim ad omnes Germaniae, Italiae, Galliae, aliarumque Ecclesiarum Episcopos inscriptae sunt, non meminerunt octo priora Oecumenica Concilia, non veteres Patres et Scriptores, non Dionysius Exiguus diligentissimus Collector, non denique ceteri, quorum intererat in controversiis exortis eas litteras producere, si extitissent. 2.° Plura Scripturarum loca in Decretalibus trium priorum saeculorum leguntur ex versione S. Hieronymi, quae nondum edita erat. Similiter S. Isidoro Hispalensi Episcopo tribuitur collectio ex To-

letanis Conciliis octo, a quinto ad decimum tertium, et ex Concilio Bracarensi adornata, quae post ipsius mortem celebrata fuerunt. 3.° Conficta nomina Archiflaminum, priorum Flaminum; voces Primatuum, Archiepiscoporum, Apocrysariorum, quae ab aetate et usu veterum Pontificum alienae sunt. Contra vero de persecutionibus, de consolatione martyrum, de rebus, et statu eorum temporum omnino siletur. 4.° Falsae consulares notae eisdem epistolis affixae, quae Consules referunt, qui in consularibus fastis nunquam fuere, aut non ea certe aetate, quae cum aetate earumdem epistolarum concordet. 5.° Denique sermo rudis et barbarus a priorum saeculorum nitore prorsus alienus, et idem semper stilus, idem orationis numerus, et eadem verborum dispositio in tot epistolis, quae ab auctoribus diversae plane indolis, aetatis ac morum conscriptae fuisse dicuntur.

Non omnia tamen suae collectionis monumenta Isidorus confixit ingenio suo, sed quatuor monumentorum generibus usus est: 1.° *genuinis atque sinceris*, quales sunt Decretales epistolae ex Dionysiano Codice desumptae: 2.° *suppostitiis*, quae ipse fabricatus est, ut sunt epistolae fere omnes Summorum Pontificum a S. Clemente usque ad Siricium, multae etiam a Siricio usque ad S. Gregorium Magnum, tum gesta Romanae Synodi sub Julio I, acta quoque Romanarum Synodorum quintae et sextae sub Symmacho: 3.° *apocryphis*, quae ab aliis ante Isidorum procusa ipse tamen in suam collectionem retulit, uti epitomen Concilii Rom. II sub S. Silvestro, quod Silvestri *Constitutum* appellant: 4.° *interpolatis*, quae

videlicet suis additamentis corrupit. Nam si quae monumenta in genuinis suis fontibus breviora sunt, apud Mercatorem vero auctiora; ideo quidquid additamenti accessit, id ejusdem Mercatoris opera suppositum affirmare licebit. Ita adjectitia sunt duo postrema capita epistolae Vigilii Papae ad Profuturum, quae ob mendosam lectionem ad Euterium inscribitur; siquidem ea duo capita a sinceris Hispanicae collectionis Codicibus absunt, et apud Mercatorem reperiuntur. Legendi Fratres Ballerini de antiquis collectionibus canonum part. 3 cap. 6 §. 5, ubi omnia Isidoriani Codicis documenta tum sincera, tum spuria, tum interpolata eruditissime diligenterque discreverunt. Jacobus autem Merlinus Parisiis an. 1523 Isidorianam collectionem, cui tamen multa additamenta facta fuerant, typis evulgavit: quae editio sequentibus Collectionibus Conciliorum inserta est.

§. 52.

DE REBUS NOTANDIS IN COLLECTIONE ISIDORI

De hac collectione generatim animadvertimus: 1.° nihil prorsus in ea contra fidem, bonosque mores contineri; secus enim ab universa Ecclesia septem fere saeculis recepta, usuque probata non fuisset: 2.° insciis Romanis Pontificibus falsas Decretales, et alia monumenta fuisse confecta. Nam Leo IV, qui anno 847 ad Petri Cathedram evectus est, ad Britanniae Episcopos rescribens, non alias Decretales et canones agnovit praeter eos, qui apud Dionysium Exiguum extabant (can. 1 dist. 20),

quod manifestum indicium est, adulterina Isidori monumenta Romae cognita non fuisse, aut saltem non recepta. 3.° Privilegia Summi Pontificis illa collectione, veluti fundamento, non inniti, quod summa injuria recentiores haeretici dixerunt. Etenim Pontificis jura non tali auxilio indigebant, cum a Deo ipso collata sint. Praecipuus autem Mercatoris scopus duplex fuit, alter Episcoporum indemnitati consulendi, alter stabiliendi Primates, quos Patriarchis exaequat; quae duo fuse et erudite demonstrat Carolus Blascus in suo Commentario de collectione canonum Isidori Mercatoris. 4.° Vanas et injustas esse eorum querelas, qui per collectionem Isidori sublatam putant antiquam Ecclesiae disciplinam, et insuetam planeque novam introductam. Nam pleraque Isidori monumenta ex canonibus Conciliorum, ex Romanorum Pontificum sinceris Constitutionibus, ex sententiis Sanctorum Patrum excerpta sunt. Cetera vero eam plerumque disciplinam exhibent, quae jam obtinuerat. Praeterea, ut Ballerini Fratres citato opere animadvertunt, *stultus plane fuisset impostor, si sperasset suam collectionem acceptum iri ab hominibus, quae novam omnino disciplinam a sui quoque saeculi moribus et consuetudinibus abhorrentem contineret. Quod si quaecumque contra consuetudinem ingeruntur, etiamsi bona et utilia sint, ipsa novitate perturbare solent; multo magis de iis timendum erat, quibus disciplinam per se optimam, et sanctioribus fultam legibus, longoque usu ab hominibus receptam quispiam evertere et immutare contenderet. Nulli autem tumultus, clamores nulli auditi sunt ob inductas Decre-*

tales apocryphas, nisi in ea parte, quae ad Episcoporum causas et judicia pertinet: de quibus aliqua apud Hincmarum leguntur, et in epistolis Nicolai I. At in his ipsis causis atque judiciis, quod in pseudo-epistolis ac Synodis Isidorianis traditur, non erat omnino novum. 5.° Denique disciplinam, quae ab Isidoriana collectione praefertur, auctoritatem ecclesiasticae legis obtinuisse, non in vim ejusdem collectionis, quae privata auctoritate confecta est, et plerisque monumentis partim confictis, partim interpolatis constat, sed in vim tum praecedentium, tum subsequentium Constitutionum ecclesiasticarum, quibus eadem disciplina inducta et confirmata est, tum etiam in vim consuetudinis, quae in rebus disciplinaribus multum valet. Totam hanc rem concludam verbis Petri Ballerini in vindiciis auctoritatis Pontificiae contra opus Justini Febronii cap. 5: *Neque causetur ignorantia falsarum Decretalium, quae omnes diutius occupabat; nam praeterquamquod fere omnia, quae Pseudo-Isidoro tribuuntur, anteriorem, ut indicavimus, habent originem, nonne in materia disciplinae jus novum, etiamsi quibusdam in capitibus errore aliquo inductum ac propagatum, cum legitima potestate proprio jure receptum et approbatum est, non ex ignorantia, sed ex auctoritate approbantium, nec non ex ipsa consuetudine legitima praescribente vim legis acquireret, dum nihil contra divinum, aut naturale jus receptum aut approbatum sit?*

Doctissimi Fratres Ballerini, editioni Operum S. Leonis Magni integro volumine adjecto, recensendis illustrandisque vete-

ribus ad Gratianum usque collectionibus dederunt operam, eamque provinciam magno studio et eruditione obierunt. Ea igitur, quae ad veteres canonum collectiones, earumque Collectores pertinent, ibidem bene digesta explicataque continentur.

§. 53.

DE GRATIANI DECRETO

Sunt et aliae collectiones canonum, veluti *Collectio S. Martini Episcopi Bracarensis, Breviarium et Collectio Cresconii, Collectio Reginonis, Volumen decretorum Burchardi Wormatiensis, Decretum et Panormia seu Panomia Ivonis Carnotensis,* quibus omissis ad collectionem Gratiani properamus. Itaque Gratianus monachus Benedictinus circa annum 1151 celeberrimam collectionem omnium ditissimam evulgavit, in qua certis propositis quaestionibus canones aliaque monumenta, quae inter se dissidere videbantur, in concordiam studuit revocare. Hinc ejus collectio *Concordia discordantium canonum* vocata est, quamvis vulgo *Decretum Gratiani* dici soleat. Totum opus in tres partes dividitur, quarum prima distinctionibus constat centum et una, et quaelibet distinctio plures canones seu capita complectitur: quamobrem canones hujus partis allegantur tribus modis, vel expresso numero canonis, ex. gr. *can.* 5 *dist.* 61, hoc est canone quinto, distinctione sexagesima prima; vel expresso primo ejusdem canonis vocabulo, ex. gr. *can. Miramur dist.* 61, hoc est canone, cujus initium *Mirarur*, distinctione sexagesima prima; vel denique expresso tum numero canonis, tum prima ejusdem voce, ex. gr. *can. Miramur*

5 *dist.* 61, videlicet canone *Miramur* quinto, distinctione sexagesima prima.

In prioribus viginti distinctionibus de origine, auctoritate variisque speciebus ac principiis Juris Ecclesiastici; in reliquis distinctionibus de Clericis, eorumque statibus et officis praesertim agitur.

In secunda Decreti parte (quae in causas 36, et unaquaeque causa in plures quaestiones, quaestio autem in canones tributa est) praecipue exponuntur quae ad judicia ecclesiastica pertinent. In hac parte allegantur vel priora canonis seu capitis verba, vel ejus numerus, et praeterea causa, et quaestio, uti *can.* 2 *caus.* 8 *q.* 2, hoc est canone secundo, causa octava, quaestione secunda. In hac secunda parte ad causam trigesimam tertiam quaestione tertia extat *Tractatus de poenitentia* in distinctiones septem divisus; quare hujus distinctionis canones citantur, aut expresso numero, aut voce initiali canonis, et numero distinctionis de poenitentia e. g. *can. Lacrymae* 2 *dist.* 1 *de poenit.*

Tertiae autem partis eadem est quae primae divisio in distinctiones, et canones, in eaque de rebus et ritibus sacris tractatur, quam ob causam *de consecratione* inscripta est. Citantur itaque canones per priora ipsorum verba, vel numerum, addito numero distinctionis, quemadmodum canones primae partis; sed ut canones utriusque partis discernantur, locis ex tertia parte laudatis addi solet *de consecratione,* siculi *can.* 1 *dist.* 1 *de consecrat.* Haec partitio Decreti in tres praecipuas partes de personis, de judiciis, de rebus ecclesiasticis apta et ordinata

foret; sed tamen materia proposita saepius et sine causa interrumpitur; ideoque Antonius Augustinus affirmare non dubitavit: *Si apud Gratianum artem requiras, et ordinem docendi, frustra laboraveris.* Nec solum ordo seu filus orationis in Gratiani opere desideratur, sed, quod magis est, multis erroribus scatet, quorum praecipua genera expressit Antonius Augustinus lib. I dialog. 1 de emend. Gratian. *Saepe,* inquit, *erratum esse video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Conciliorum, et aliarum rerum. Saepe falsae sunt inscriptiones, et quae Conciliorum sunt, Pontificum Maximorum esse dicuntur, et quae sunt unius Episcopi inferioris, Romano Pontifici aut Concilio generali vel provinciali tribuuntur. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba esse dicuntur, quae aut nusquam extant, aut aliena sunt. Illa quoque ipsa, quae inscriptiones veras habent, non recte referuntur.*

§. 54.

DE EMENDATIONE GRATIANI

Itaque plures viri docti ad detegendos Gratiani errores, atque emendandos animum adjecerunt. In primis Contius capita sive canones numeris distinxit: *Ante Contianam enim editionem certum est,* ait Antonius Augustinus cit. lib. dialog. 18 *capitum numeris nullum Gratiani volumen fuisse distinctum.* Multas praeterea notas addidit, quibus falsae inscriptiones a veris et sincera monumenta ab apocryphis secernerentur. At pontifices

ipsi Pius IV, Pius V, et Gregorius XIII novam et castigatiorem Gratiani emendationem aggressi sunt, eamque provinciam selectis quibusdam viris, quos Correctores Romanos vocant, demandarunt. Jam vero Correctores Romani, conquisitis undique praesidiis, permulta in canonum inscriptionibus, et in textu, et in glossis emendarunt. Primum itaque veras inscriptiones, seu auctorum citationes, ubi error evidens erat, restituerunt; ubi autem de vero canonis auctore dubitatio orta est, quod idem caput apud plures auctores inventum fuit, aut aliqua capitis pars comperta est ejus auctoris qui citabatur, aliqua vero minime, aut verba valde mutata, subjectis notis indicarunt, et in margine ea loca descripserunt, ubi eadem capita haberentur. Circa emendationem textus haec ratio reservata est, ut initia capitum ob usitatas Doctorum citationes non mutarentur, quandoquidem ante Contium, ut supra monui, canones seu capita numeris distincta non erant, adeoque per verba initialia citabantur. Veruntamen a Correctoribus ubi initia capitum ab originali discreparent, in margine aut in notationibus germana lectio indicata est. Hanc quoque glossae ipsius rationem habuerunt, nihil ut in textu sit mutatum, ubi mutatio ipsa impeditura erat, quominus quid sibi auctor glossae voluisset, animadverti posset, sed eodem modo aut margine, aut in notatione mendum est indicatum. Ubi vero haec non obstabant, nonnulla in ipso textu emendarunt, nonnulla etiam aliquando addiderunt, et aliquando detraxerunt, earumque mutationum in subjectis notis identidem rationem attulerunt; saepe tamen in genere

monuerunt aliquid emendatum esse, et aliquando mutationum mentionem nullam fecerunt. Denique quod ad glossas pertinet, quae in illis errata paulo majoris ponderis obrepserunt, ea in margine notarunt, et quid catholice sentiendum esset, ostenderunt. Haec autem Romana Correctio qua par erat diligentia et studio peracta est; sed tamen in opere vastae adeo molis, et humanam pene effugientis diligentiam, mirum non est, si novi errores tractu temporis detecti sint, quod Correctores ipsi viderant; namque in praefatione Decreti professi sunt, non in totum, sed *magnam jam partem suum unicuique tributum esse.* Hinc Gregorius XIII, quamquam jure caverit, ne quisque pro libidine sua Decretum, tanta maturitate diligentiaque emendatum, iterum emendare ac typis subjicere praesumeret, permisit tamen, ut viri eruditi in expendendis Gratiani monumentis operam suam collocarent.

De mendis Gratiani vide Antonium Augustinum *de emendatione Gratiani,* et Carolum Sebastianum Berardi in praestantissimo opere, quod inscribitur *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti, corrupti ad emendatiorum Codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati.*

§. 55.

DE AUCTORITATE DECRETI GRATIANI

Sed quaeritur, an Gratiani collectio authentica haberi queat, et proinde quidquid in ea continetur, ecclesiasticae legis vim habeat. Hac in re illud in primis tenendum est, Gratiani Decretum non publica auctoritate, sed pri-

vato ipsius Gratiani arbitrio confectum esse, ideoque nullam ex Collectore legalem auctoritatem obtinuisse. Restat igitur, ut, si quam auctoritatem habeat, eidem postmodum approbatione publica accesserit. Videndum itaque an hoc Decretum receptum approbatumque sit. Tres invenio sententias. Prima generatim affirmat, tum quod Gratiani Decretum, cum primum prodiit, in scholis et in foro assidue susceptum et adhibitum fuit, tum quod Eugenius III, et Gregorius XIII publicam auctoritatem eidem Decreto tribuerunt. Altera sententia omnino negat, propterea quod scholarum et fori usus praestantiam Decreti commendat, nullam tamen auctoritatem adjungit, eo vel magis quod adulterata, spuria, aliaque mendosa capita, quibus Decretum hoc scatet, nondum comperta erant; idcirco credendum non est scholas et forum, imo vero Romanos quoque Pontifices ea voluntate Decreto usos esse, ut omnibus indiscriminatim in eo congestis vim legis ecclesiasticae tribuerent, cum nihil magis obsit consensui, quam error. Sed neque de legali approbatione Decreti satis liquet. Nam de Eugenii III approbatione unus et solus Trithemius testis est, sed ejus testimonium a criticis plane rejicitur, propterea quod scriptores ceteri, aut Gratiani aequales aut aetate inferiores, Eugenianae approbationis non meminerint, nec illius certum documentum ullum afferatur. Nec quisquam persuadere sibi poterit, eam approbationem, si extitisset, non divulgatam, non ulli Gratiani exemplari praefixam, sed omnino suppressam fuisse. Similiter Gregorius XIII in suis litteris declaravit, curasse se, ut Gratiani Decretum a mendis

Nemo tamen ex his concludat, totum id, quod quivis Sanctorum Patrum litteris consignavit, ita retinendum esse, ut contra sentire aut agere nunquam liceat. Nam singuli Ecclesiae Patres afflatu Spiritus Sancti, sicut Prophetae et Apostoli, non regebantur, proindeque aliquibus in rebus errare potuerunt.

§. 42.

DE USU ET AUCTORITATE SANCTORUM PATRUM

Itaque Sanctorum Patrum scriptis ita utendum est, ut non eis majorem praeter quam habent auctoritatem tribuamus. Qua super re damus regulas quae sequuntur.

Prima est: *In rebus, quae ad fidem et mores pertinent, unius etiam, alteriusve Patris auctoritati magna fides habenda est; major etiam, si plures Patres idem omnino sentiant. Si quid vero consentientes inter se Patres aut divinis Litteris expressum, aut divinitus traditum esse doceant, eorum dictis sine ulla dubitatione credendum est, neque licet dissentire.* Quamvis enim singuli SS. Patres falli potuerint ut homines, dum tamen ad unum omnes in eadem sententia conspirant, expertes omnis erroris censendi sunt. Namque, ut refert Vincentius Lirinensis, *Concilio Ephesino divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuisset auctoritas;* et Concilium Lateranense sub Innocentio III can. 13 haec habet: *Quae omnes consentientes Ecclesiae Patres respuunt, ea catholica et apostolica Ecclesia respuere dicit; et quae cre-*

dunt, credit. Denique Concilium Tridentinum sess. 4 in Decreto de editione et Sacrorum Librorum usu sub poena anathematis sancivit, *ne quis Scripturam Sacram contra unanimem Sanctorum Patrum sensum interpretari audeat.*

Secunda est: *In negotiis et causis, quae ad disciplinam spectant, legibus ab Ecclesia constitutis standum est, non scriptis SS. Patrum.* Neque enim SS. Patres aut leges ferre, aut latis legibus derogare potuerunt, propterea quod ad condenda, vel abroganda jura doctrina et sanctitas non sufficiunt, sed potestas necessaria est, qua SS. Patres destituebantur. Sapienter itaque Gratianus in principio dist. 20 nos admonuit, cum de legibus disciplinae constituendis, vel controversiis definiendis agitur, magis obtemperandum esse Summorum Pontificum decretis, quam SS. Patrum sententiis: *nihilque obest,* ut scite animadvertit Joannes Baptista Bartoli Instit. Jur. Can. cap. 42, *quosdam ex Sanctis Patribus contra sensisse, cum saepe incidant tempora, ut quod olim Ecclesiae neque necessarium, neque utile esse crederetur, id postmodum maxime profuturum esse videatur; quam ob causam ipsas quoque Ecclesiae leges interdum mutari oportet.*

Tertia est: *In negotiis vel controversiis ecclesiasticae disciplinae, in quibus neque Pontifices Summi, neque Concilia quidquam constituerunt, Sanctorum Patrum sententiae pro legibus, quas sequamur, nobis erunt.* Hanc regulam accepimus a S. Leone IV, qui in epistola ad Episcopos Britanniae, cum Summorum Pontificum decreta, Conciliorumque canones enumerasset, *per quos,* ut ait, *judicant Episcopi, et per quos Episcopi simul et Cleri-*

ci judicantur, ita subdit: *Si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos finiri, tunc si illorum quorum meministis dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori, vel ceterorum similiter Sanctorum Doctorum reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda.*

Itaque SS. Patrum scripta in rebus disciplinae sunt Juris Canonici fons subsidiarius quatenus ubicumque sacri canones silent, scripta SS. Patrum subsidio veniunt, et locum auctoritatemque ecclesiasticae legis obtinent. Ex quo factum est, ut qui colligendis sacris canonibus dederunt operam, hi multas SS. Patrum sententias suo quisque canonum Codici inseruerint.

Joannes Barbeyracus, Dallaeus, et alii Calvinistae Sanctorum Patrum doctrinam carpere conati sunt, sed frustra laborarunt; vide Lexicon theologicum D. Bergier verb. *Ecclesiae Patres, Juris Ecclesiastici praelectiones Vincentii Lupoli* tom. 1 cap. 13, et disputationem Liberati Fassonii *de morali Patrum doctrina*.

DE JURE CIVILI

§. 43.

DE JURE CIVILI PER CANONES RECEPTO

Postremum denique Juris Canonici fontem appellamus Jus civile Romanorum, tum quia multa ex romanis legibus, et praesertim ex Codicibus Theodosiano, et Justinianeo

sumpta fuerunt, et in Jus Canonicum translata, tum quia in negotiis et causis ecclesiasticis, de quibus in ipso Jure Canonico nihil proditum est, perscrutari Juris civilis regulas, easque sequi debemus. Si quis enim S. Gregorii Magni epistolarum libros perlegat, is profecto cognoscet, S. Pontificem civilibus Romanorum legibus saepius usum fuisse, easdemque civiles leges Episcopis, aliisque judicibus ecclesiasticis proposuisse, quibus in exercendis judiciis uterentur. Qua de re potissimum legenda est ejusdem Pontificis epistola ad Joannem Defensorem in Hispaniam euntem conscripta, in qua illum edocens quemadmodum in ecclesiasticis controversiis se gerere deberet, quas ei regulas dedit, eas omnes ex civili Romanorum Jure deprompsit.

S. Gregorii Magni exemplum alii Pontifices imitati sunt. Quapropter Lucius III c. 1 de novi oper. nunciat. in controversia inter duas Ecclesias exorta ob capellae cujusdam aedificationem, cum Episcopo Patavino judici delegato *dubium videretur, utrum canonico procedi posset judicio, cum nihil de nunciatione novi operis esset in canonibus definitum*, ita rescripsit: *Sicut humanae leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur*. Ubi Glossa ad verbum *adjuvantur* haec habet: *In causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut, si canones deficiant, possit judicari secundum leges*. Et Abbas in idem caput num. 3 inquit: *Causa Ecclesiae debet decidi per jus civile in defectum canonum*. Hinc sententia contra leges civiles, vel sacros canones ab judice ecclesiastico lata ipso jure nulla est, ut habetur c. 1 de sen-

tent. et re judicata: *Sententia contra leges, canonesve prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure.*

§. 44.

DE REGULIS IN USU JURIS CIVILIS OBSERVANDIS

Nemo tamen existimet in omnibus causis ecclesiasticis fas esse civilium legum auctoritate uti; in quibusdam enim causis omnino non licet. Quando igitur id fieri possit, explicandum est.

Sed in primis praemonere oportet, nonnullas civiles leges a sacris canonibus probatas fuisse, alias vero correctas, ceteras silentio praetermissas.

Cognationem legalem, ait Benedictus XIV de Synod. Dioec. lib. IX cap. 10, *et quae ex ea ad nuptias profluunt obstacula, eo prorsus modo, quo a Jure civili statuta fuerant, universim recepit approbavitque Nicolaus I in responsione ad consulta Bulgarorum c. 2, cujus responsionis fragmenta referuntur in c. ita diligere* 30 *quaest.* 3, *et in c. unic. de cognat. legal. Quamobrem si quaestio incidat sive in tribunali ecclesiastico, sive in Synodo, an in hoc vel illo casu adsit impedimentum cognationis legalis, necessario recurrendum erit ad leges civiles, atque ad earumdem normam controversia decidenda.* Sic etiam in Corpus Juris Canonici relatae sunt leges civiles de impedimento cognationis spiritualis, deque experimento triennali in causa impotentiae; et secundus Decretalium liber, qui ad judicia ecclesiastica pertinet, ma-

gnam partem ex jure civili descriptus esse videtur. Divisio etiam status hominum in liberos et servos, legitimos et illegitimos, puberes et impuberes, minores et majores, multaeque aliae Romanorum leges ab Ecclesia probatae susceptaeque fuerunt.

Contra vero ab Ecclesia correctae reprobataeque Romanorum leges, quae concubinatum, divortium, infidelitatem in sponsalibus, consobrinorum nuptias, usuras proprie dictas, praescriptiones cum mala fide, occisionem adulteri a marito vel patre factam probaverunt. Praeterea alia multa, quae in jure civili minus pie et religiose constituta videbantur, Ecclesia mitigavit emendavitque. Sic viduam, quae intra annum luctus ad secundas nuptias transit, omni infamia carere voluit; matrimonia filiorumfamilias et servorum sine consensu parentum vel dominorum contracta valere, seu vera rataque esse statuit; declaravit filiis quoque illegitimis alimenta a patribus deberi; jusjurandum adjectum contractibus, quos sola humana lex irritat, servari jussit. Confer P. Gallum Cartier Institut. Jurisprudentiae Canonico-Civilis cap. IV §. 2, et Henricum Canisium de Differentiis Juris Canonici, et Civilis.

Jam vero nemo est qui non intelligat, leges civiles, quas Ecclesia probavit et recepit, a nobis probandas esse recipiendasque; improbandas vero atque rejiciendas, quas ipsa improbavit vel correxit.

Quid vero sentiendum est de iis legibus, quas Ecclesia nec approbavit nec improbavit, sed silentio praeterivit? *Ejusmodi leges,* ait Benedictus XIV de Synod. Dioec.

lib. IX cap. 14, *si rem spectent mere profanam, nec ulla ex parte sacris canonibus adversentur, tacite approbatae videntur in c. 1 de novi oper. nunciat.* Itaque ut hanc regulam adhibere recte possimus, animadvertamus oportet, quae res mere profanae, quae contra spirituales et ecclesiasticae dicendae sint. Itaque ubicumque Jus Canonicum de aliqua re aut nihil, aut obscure statuit, ejus supplendi vel interpretandi causa, si res mere profana sit, ad jus civile; si spiritualis aut ecclesiastica sit, ad scripta Sanctorum Patrum confugiendum erit.

Recentiores Canonistae, apertis explicatisque Juris Canonici fontibus, solent ejusdem Juris *Adminicula* subjungere; *quae quidem,* ut ait Josephus Schell in Institutionibus Juris Ecclesiastici P. Mauri de Schenkl sect. 1 cap. 4 §. 73, *legum ecclesiasticarum rationem sufficientem haud continent, nec earum proprie fontes sunt; at in cognitionem principiorum inducunt, usum eorum expeditiorem, et notitiam Juris Ecclesiastici pleniorem reddunt et solidiorem.* Inter haec recenset Historiam Ecclesiasticam, Historiam Juris, Criticam Sacram, Chronologiam, et Geographiam, itemque Theologiam Dogmaticam, quam, ut optime ait, *insigne esse jurisprudentiae ecclesiasticae adjumentum nemo inficiabitur, qui perpenderit, eadem fere esse utriusque disciplinae principia, leges plures pendere ex dogmatibus, ex. gr. de Liturgia, S. Ordine, Hierarchia, Matrimonio etc., et rationem, ne aberret, ad revelationis normam perpetuo esse dirigendam.*

Haec itaque magna et multa adjumenta comparare sibi debet, qui universum Jus Canonicum publicum et privatum, ejusque principia bene provisa explorataque habere cupit. Non vero negamus tam magnifico scientiarum apparatu eum non indigere, qui studio Juris Canonici ideo vacat, ut tantummodo discat forenses causas apud judices tractare.

CAPUT III.

DE COLLECTIONIBUS SACRORUM CANONUM

§. 45.

DE COLLECTIONIBUS GENERATIM

Canones Conciliorum, et Summorum Pontificum decreta diversis temporibus et locis constituta Codicem in unum colligi coepta sunt, unde *Collectiones Canonum* prodierunt. Hujusmodi collectionum utilitas maxima fuit, propterea quod canones, qui in multis voluminibus fusi atque dispersi habebantur, collectione apta sub uno aspectu positi sunt; ipsaque collectionis species legentis animum regit, et continuo quasi filo a primis rerum initiis ad finem usque perducit. De collectionibus haec generatim monenda sunt: 1.° In causa fidei nulla esse potest inter Ecclesias differentia juxta vulgatissimum illud Tertulliani: REGULA FIDEI UNA OMNINO EST, SOLA, IMMOBILIS, ET IRREFORMABILIS. At manente communione ecclesiastica, varia potest esse disciplina Ecclesiarum. *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter habendum est*, ut inquit Augustinus dist. 12 c. 11. Hinc peculiares quaedam Ecclesiae, veluti Orientalis, Africana, Hispanica, suas canonum collectiones habuerunt, in quas praeter canones generales, illi quoque congesti sunt, quos Ecclesia quaevis sibi proprios constituerat. 2.° Sola canonum in unum Codicem dispositio vel

collectio nullam eisdem canonibus auctoritatem addit; atque inde canones in unum Codicem privata auctoritate collecti non aliam auctoritatem obtinent, praeter eam, quam acceperunt ex fontibus, unde desumpti sunt. Itaque ut canones ratione collectionis vim aliquam consequantur, oportet collectionem ipsam publica auctoritate aliqua aut confectam, aut saltem probatam esse. Quapropter collectiones sacrorum canonum fideles singulos obstringunt, si Ecclesiae universalis auctoritate congestae fuerint, aut receptae; fideles autem unius vel alterius Ecclesiae constringunt, si unius tantum vel alterius Ecclesiae auctoritate Codex confectus fuerit, vel comprobatus. 3.° Collectiones, seu canones *apocryphi* vel *supposititii* nominantur, qui auctoribus adscribuntur ad quos non pertinent, aut qui adulterati, corrupti, vel conficti plane sunt, ex quibus proinde nihil certi hauriri potest.

§. 46.

DE CONSTITUTIONIBUS APOSTOLICIS

Antequam Canonistae de collectionibus in specie disserant, in quaestionem vocare solent, an *Constitutiones Apostolicae* Apostolis ipsis tribuendae sint, atque adeo an aliquis Codex canonum primis Ecclesiae saeculis extiterit. De his nonnihil dicendum est. In his Constitutionibus multa sunt, quae Apostolorum doctrinae adversantur. Nam de Filii et Spiritus Sancti divinitate male sentiunt, quartas et ulteriores nuptias condemnant, ancillis permittunt ut libidini dominorum infidelium pareant,

baptismum ab haereticis collatum iterari jubent, atque alia id genus proferunt, praeter errores bene multos cum historicos, tum chronologicos, quos silentio praetermittimus. Igitur Constitutiones hujusmodi, quales ad nos pervenerunt, nec Apostolis, nec S. Clementi Romano adscribi possunt.

Verumtamen de ipsarum origine et fatis res parum comperta est. S. Epiphanius, qui floruit quarto exeunte saeculo, Apostolicas Constitutiones citat, commendatque: *Qui liber*, ut ipse scribit haeresi 70 contra Audianos, *tametsi dubiae apud multos fidei sit, non est tamen improbandus. Nam in eo, quae ad Ecclesiae disciplinam attinent, omnia comprehenduntur, neque quidquam aut in fide ac catholica professione depravatum, aut Ecclesiae administrationi ac decretis contrarium continet.* Duo itaque ex hoc Epiphanii loco colliguntur. Primum est S. Epiphanii aetate librum aliquem nomine Constitutionum Apostolicarum extitisse, in quo nihil a fide catholica, aut ab Ecclesiae disciplina alienum inveniebatur. Alterum est hujusmodi Constitutiones aut injuria temporum periisse, aut eas, quas habemus, diversas ab iis esse, et ex integro confectas, aut saltem si unae et eaedem sunt, atque illae, quarum testimonia S. Epiphanius refert, post ipsius Epiphanii tempora ab haereticis corruptas interpolatasque fuisse, quod cognoscimus etiam ex locis ab eodem Epiphanio laudatis, qui aut in illis Constitutionibus non extant, aut aliam sententiam exhibent. Quod vero attinet ad auctorem, ac tempus, quo primum prodierint, non una eruditorum sententia. Probabilius sentire videntur,

qui has Constitutiones III aut IV saeculo vulgatas fuisse existimant, eo quod Patres priorum saeculorum, et in primis S. Justinus Martyr, S. Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origines, aliique hisce Constitutionibus, data licet occasione, numquam usi sunt, usuri certe, si extitissent; nisi forte dicere velimus illarum nunquam meminisse, quia apocryphae habebantur. At quaecumque fuerit hujusmodi silentii causa, illud continuo sequitur, minime audiendos esse, qui Apostolos aut S. Clementem earumdem auctores praedicaverunt. Haec enucleanda putavimus, ut manifestum sit, nullam certam exploratamque auctoritatem his Constitutionibus tribuendam esse.

§. 47.

DE CANONIBUS APOSTOLORUM

Postremo capiti libri octavi Apostolicarum Constitutionum collectio quaedam canonum subjicitur, qui Apostolorum vulgo dicuntur, eaque collectio ab eodem S. Clemente facta fuisse perhibetur. De hisce vero canonibus rectum judicium proferre difficilius sane est, cum sententias invicem pugnantes offendamus. Eos canones *Apostolicos* vocant Constantinus Imperator, Synodus Constantinopolitana sub Nectario, Concilium Ephesinum, Theodosius et Justinianus, quod observat De Marca de Concord. Sacerd. et Imp. lib. 3 cap. 2. Sed omnium maxime S. Joannes Damascenus lib. IV de fide orth. cap. 17 non dubitavit, canones Apostolicos tamquam ab Apostolis

constitutos in Sacrarum Scripturarum canonem referre; namque ita scribit: *Jam vero novi Testamenti libri isti sunt. Quatuor Evangelia...... Canones denique sanctorum Apostolorum per Clementem concinnati*. Inter recentiores autem Turrianus, auctor e Soc. Jesu, singulari libro adversus Magdeburgenses Centuriatores canones eos omnes pro veris et genuinis tuetur, eisdemque Apostolicam auctoritatem tum permultis testimoniis veterum Conciliorum et Sanctorum Patrum, tum rationibus et argumentis vindicare conatur.

Contra vero plures eruditione et doctrina praestantes viri sentiunt, eam collectionem neque Apostolis, neque S. Clementi adscribi posse: quod tribus maxime argumentis comprobatur. Primum est, tum quia Eusebius Caesariensis, S. Hieronymus, et ceteri, qui in conservanda ecclesiasticorum scriptorum memoria diligentissime versati sunt, nullam eorum canonum mentionem faciant, tum quia nec Victor Pontifex in controversia de Paschate celebrando, nec S. Cyprianus in controversia de baptismate haereticorum his canonibus uspiam usi sunt: eos autem, si Apostolorum fuissent, nec poterant ignorare, nec in medium proferre omisissent, quandoquidem illa controversiarum capita perspicue dilucideque eisdem canonibus explicata definitaque reperiebantur. Secundum est, quod multa in iis sunt, quae cum aetate Apostolorum componi nulla ratione possunt. In iis enim canonibus mentio est de Cantoribus, Lectoribus, de annuis Conciliis Metropolitanis; de divisione Parochiarum, de bonorum Ecclesiae a bonis Episcopi distinctione, deque aliis id genus, quae certe

Apostolorum ac S. Clementis aetate recentiora sunt. Tertium denique et potissimum argumentum est, quod habeant quaedam tum Apostolorum disciplinae, tum catholicae doctrinae omnino contraria. Nam (ut aliqua memorem) Apostolicae doctrinae repugnant canon 17, quo ille dumtaxat bigamus dicitur, qui post baptismum duas uxores duxerit; et canon 66, qui clericum sabbato jejunantem deponi, laicum vero praecipit excommunicari. Doctrinam vero a veritate catholica alienam tradunt canones 46 et 47, in quibus baptisma ab haereticis collatum plane rejicitur, irritumque declaratur; itemque canon 74, quo libri Sapientiae, Tobiae, et Judith a canone divinarum Scripturarum vel expunguntur, vel omittuntur.

§. 48.

DE CANONUM APOSTOLORUM ORIGINE NUMERO ATQUE USU

Itaque cum hujusmodi canones *Apostolici* aut dici, aut haberi saltem singuli non possint, duo modo quaerenda sunt 1.° quis eorum auctor extiterit; 2.° an et quinam ex iisdem canonibus auctoritatem in Ecclesia obtinuerint. Jam vero quod ad originem spectat, *Difficile est*, ait De Marca de Concord. Sacerd. et Imp. lib. III cap. 2, *in tam alto veterum scriptorum silentio tempus hujus collectionis indagare, quam tamen certum est Concilii Nicaeni tempora antecessisse.* Eruditi consentiunt disciplinae antiquissimae lineamenta his canonibus conti-

neri. Ex his itaque perspectum exploratumque est, non novae disciplinae genus esse ordinationes Episcoporum, Presbyterorum, et aliorum Clericorum, non novum esse dogma de oblatione et sacrificio Missae, de discrimine inter Clericos et Laicos, de potestate Episcopi in Clerum, de cura rerum ecclesiasticarum ab eodem Episcopo gerenda, de excommunicatione, et de aliis id genus plurimis, quae tamquam omnino nova ab aliquibus haereticis improbantur. Dallaeus, calvinianus homo, cum probe intelligeret quantum horum canonum antiquitas Calvinianorum causae obesset, eos quinto adulto saeculo in lucem prodiisse, atque a graeco eoque haeretico homine confictos fuisse contendit. Sed Dallaei opinio a Guillelmo Beveregio refutata est, qui eos canones aut labente secundo Ecclesiae saeculo, aut tertio ineunte conditos fuisse apertissime demonstravit. Hodie igitur omnibus persuasum est, canones Apostolicos partim ex sanctissimis regulis, quas Apostoli Ecclesiis tradiderunt, partim ex consuetudine Ecclesiarum, partim ex decretis Synodorum, quae primis saeculis in Oriente celebratae fuerunt, conflatos esse. Cui quidem sententiae valde favet diversa ipsorum canonum partitio, cum modo plures, et modo pauciores, alibi 50, alibi demum 85 apud Collectores antiquos inveniantur. Id enim manifeste demonstrat, eam collectionem totam simul uno tempore, atque ab uno auctore confectam non esse, sed plures diversis tum temporibus, tum locis additiones accepisse. Fratres Ballerini in tom. III oper. S. Leonis de collect. canon. part. I cap. 1 haec habent: *Certum*

est, nullum corpus sine statis legibus regi, atque consistere unquam posse. Hinc Apostolos regendae Ecclesiae certas regulas seu canones praefixisse dubitari nequit. Has autem regulas, quas illi verbo tradiderunt Ecclesiis, subinde scripto fuisse collectas, et Canonum Apstolorum titulo praenotatas satis credibile est. Neque propterea credimus, omnia, quae in ipsis canonibus continentur, Apostolis referenda. Solent quippe hujusmodi opera, ut scite animadvertit P. Coustantius, licet variis incrementis augeantur, ejus nomen in epigraphe retinere, quo primum auctore coepta et constituta fuerunt.

Verum de numero et auctoritate istorum canonum maxima latinam inter et graecam Ecclesiam discrepantia sententiarum est. Nam Ecclesia graeca, saltem post Trullanam Synodum, canones 85 omnes et integros accepit; eosque tamquam ab Apostolis editos eximia quadam veneratione coluisse compertum est. Latina autem Ecclesia 50 priores canones tantum recepit, eosque in causis judicandis adhibuit, ita tamen, nihil ut de eorum origine decerneret.

§. 49.

DE COLLECTIONIBUS ECCLESIAE GRAECAE

Sed jam proferamus oportet collectiones canonum, quae diversis temporibus ac locis prodierunt. Ac primo quidem ante Concilium Chalcedonense propriam collectionem canonum Orientali Ecclesiae fuisse ex ipsius Concilii actis certum exploratumque est. Namque act. 4 haec habentur:

S. Synodus dixit: Sacri Canones legantur, et commentariis inserantur: sumptoque libro Actius Archidiaconus, et Primicerius magnae Ecclesiae legit canonem 83 - *Si quis Episcopus etc., item alium canonem* 84-*Si quis Presbyter, aut Diaconus etc.* Similiter act. 11 gloriosissimi judices dixerunt: *Canones relegantur: Leontius Reverendissimus Episcopus Magnesiae e Codice relegit regulam* 95 -*Si quis Episcopus etc. Idem ex eodem Codice legit regulam* 96-*Si quis Episcopus etc.* Porro autem series illa numerum, sub qua canones distincti et laudati sunt, perspicue demonstrat, unam certam eo tempore fuisse collectionem canonum; idque mirifice confirmatur ex illis verbis-*sumptoque libro legit canonem - e Codice relegit - e Codice legit*, quibus peculiaris liber designatur. Quo autem auctore et tempore Codex ille prodierit, incertum est. Haec autem collectio canones 166 complectebatur, hoc ordine et numero digestos, videlicet 20 ex Synodo Nicaena, 25 ex Ancyrana, 14 ex Neocaesariensi, 20 ex Grangrensi, 25 ex Antiochena, et 59 ex Laodicena, et denique 3 ex Constantinopolitana, quod didicimus ex Dionysio Exiguo, qui eam ipsam Patrum Chalcedonensium collectionem latine interpretatus est, et in suam collectionem transtulit: et quamquam Dionysius eorumdem canonum numerum unitate minuat, id tamen factum est, quod Ancyranos canones quartum et quintum in unum tantum numerum congessit.

Huic collectioni canones Apostolorum, Sardicenses, Ephesinos, Chalcedonenses, et denique octo et sexaginta ex epistolis S. Basilii eductos adjecit Joannes Scholasticus,

expurgatum et correctum exhiberetur, sed nullum prorsus verbum fecit, ex quo constaret, illud etiam auctoritate legali donavisse. Emendatum igitur a Gregorio XIII fuit, non approbatum, nec authenticum declaratum. De hac sententia Benedictus XIV ita scribit de Syn. Dioec. lib. VII cap. 15 n. 6: *Gratiani Decretum, quantumvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim et pondus legis non habet; quin imo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret.* Fallunt itaque, vel falluntur, qui in vulgus spargunt, Pontifices omni studio curavisse, ut Decretum Gratiani, tamquam Codex authenticus ab omnibus reciperetur, ut nimirum eo pacto Isidorianis Decretalibus Pontificiae auctoritati faventibus pondus et robur adjiceretur.

Tertia denique sententia tradit, Decretum integrum authenticum esse, quatenus nempe omnes canones etiam ex spurio fonte desumpti auctoritate pollent, dummodo usu et praxi in vim legis assumptos fuisse comperiatur. Hujus sententiae patroni rei exemplum sumunt ex capite 3 caus. 3 q. 1; quamquam enim, ut ajunt, illud caput ex fonte spurio, nempe ex conficta Joannis Pontificis epistola consarcinatum sit, ex praxi tamen et usu vim legis consequutum est. Quid tamen inde? Num si unum, aut alterum licet spurium canonem usus recepit in legem, colligi jure poterit, alios quoque canones indiscriminatim receptos fuisse? Relinquitur ergo, ut secunda sententia ceteris potior habenda sit.

Multa sunt Decreti capita, quae sub *Paleae* inscriptione referuntur. Aliqui putant, res levioris momenti et antiquatas illis capitibus contineri: alii rentur aliena manu accessisse: alii alia commenti sunt: sed illud vero similius est, *Paleas* adjectiones esse posteriori manu factas, et in margine primum descriptas, quas deinde librariorum quidam omiserunt, quidam in contextu posuerunt. Nam Romani Correctores observant, in vetustis Gratiani exemplaribus paucas admodum *Paleas*, nec omnes in omnibus, nec eodem ordine reperiri.

§. 56.

DE ALIIS DECRETALIUM COLLECTIONIBUS A GRATIANO AD GREGORIUM IX

A Decreto Gratiani ad compilationem usque Decretalium Gregorii IX aliae canonum collectiones prodierunt. Sunt autem quinque, inter quas prima recensetur collectio *Bernardi Circa* Papiensis Praepositi, dein Episcopi Faventini, quam anno 1190 evulgavit. Passim dicitur *Prima Decretalium Collectio*, sed eam auctor insignivit hoc titulo « *Breviarium Extravagantium* », hoc est decretorum, quae extra Gratiani opus vagabantur. At in ea collectione praeter decreta, quae Gratiani diligentiam effugerant, Constitutiones etiam Summorum Pontificum post Gratianum editae usque ad Caelestinum III, et canones Concilii Lateranensis III continentur. In quinque libros tributa est, et libri singuli in titulos; primus liber agit de constitutionibus, de rescriptis, de judicibus et eorum

officiis; alter de judiciis; tertius de vita et honestate Clericorum, rebusque ecclesiasticis; quartus de sponsalibus, et matrimonio; quintus de accusationibus, deque delictis, et poenis. Itaque collectio Papiensis fuit veluti archetypus, ad cujus exemplum reliquae collectiones adornatae sunt.

Papiensem paulo post imitati sunt *Gibertus Abbas*, et *Alanus Episcopus* Antissiodorensis, qui canones a Papiensi omissos, aliosque dein editos collegerunt. Sed utriusque collectio periit, atque ex earum ruinis novam collectionem congessit *Joannes Galensis*, seu *Valensis*, qui tum superiorum Pontificum, tum Caelestini III Constitutiones complexus est. Haec *Secunda Collectio* dicitur.

Post Caelestinum III, Innocentius III utriusque juris ac theologiae peritissimus opera Bernardi Constantinopolitani tertiam Decretalium collectionem conficiendam curavit, in qua duodecim ipsius Pontificis decreta prioribus Pontificatus annis edita continerentur, quam deinde per *Petrum Beneventanum* correctam idem Pontifex vulgavit. Huic collectioni paulo post quarta accessit ejusdem Innocentii III auspiciis, partim quidem ex posterioribus ipsius Pontificis Decretalibus, partim vero ex canonibus Concilii Lateranensis IV adornata. Quinta denique collectio *Honorii III* Decretales complectitur ejusdem Pontificis jussu concinnata, et promulgata. Quatuor priores collectiones *Antonius Augustinus*, quintam *Innocentius Cironius* typis ediderunt, notisque illustrarunt. Priores duae collectiones nullam auctoritatem publicam consequutae sunt, posterioribus tribus Pontifices ipsarum auctores vim legis tribuerunt.

§. 57.

DE COLLECTIONE GREGORII IX

Ex quinque Decretalium collectionibus, aliisque novis Constitutionibus collectionem suam Gregorius IX deduxit, quam vulgari nomine *Decretales Gregorii IX* vocamus. Ea in re Pontifex usus est opera S. Raymundi de Pennafort, viri pietate et multiplici eruditione praestantissimi. Earumdem quinque collectionum ordinem Raymundus sequutus est, adeoque rem totam in libros quinque distribuit, singulisque libris eosdem fere titulos subjecit. In collocandis vero sub quolibet titulo canonibus, rationem temporis habuit, ut primo loco ea capita exhiberet, quae ex prioribus quinque collectionibus selegit; deinde nonnulla alia, quae extra eas collectiones vagabantur, postremo loco Decretales Gregorii IX tamquam recentiores in suam collectionem inseruit. Duo autem hoc loco monenda sunt. Alterum est, collectionem hanc authenticam esse, ideoque omnia et singula generalis legis auctoritate pollere, sive a Concilio generali vel particulari, sive a Summo Pontifice, sive a S. Patre, sive ab alio quocumque scriptore vel fonte hausta sint. Haec enim collectio auctoritate Gregorii IX confecta et publicata est, ut merito Pontifex omnia sua fecerit, quibus suam auctoritatem impertitus est (L. 1. ff. de vet. Jur. enucl). Alterum est, antiquis Decretalibus, quas Gregorius IX missas fecit, vim legum ecclesiasticarum detractam esse, cum Pontifex ipse eas solas Decretales in posterum vigere voluerit, quae in suam collectionem translatae fuerant, ceteras

omnes ex industria praeteriens, quae temporibus minus accommodatae visae sunt. Antiquae tamen Decretalium collectiones valde utiles, et prope necessariae sunt ad eas Decretales intelligendas, quae in Gregoriana collectione receptae sunt, propterea quod Raymundus ex potestate sibi facta inutilia et superflua resecandi, nonnulla capita adeo praecidit, et mutila nobis exhibuit, ut ea rite percipi nequeant, nisi in antiquis collectionibus integram Decretalem perlegamus.

In allegandis capitibus Decretalium Gregorii IX indicantur vel prima verba capitis, ex. gr. *cap. Venerabilem de elect.*, vel numerus capitis, uti *cap. I de Clericis conjug.*, vel prima verba capitis et simul numerus hoc modo, *cap. Tua nos* 26 *de Sponsal. et Matr.* A quibusdam Canonistis addi solet vocabulum *extra* ex. gr. *cap. Cum pridem de Pactis extra*, ut nempe significetur caput illud extra Gratiani Decretum reperiri. Sed haec allegandi ratio in desuetudinem fere abiit.

§. 58.

DE SEXTO DECRETALIUM, DE CLEMENTINIS ET EXTRAVAGANTIBUS

Post editas Gregorianas Decretales, cum novae a Romanis Pontificibus Decretales prodiissent, et Concilia duo Lugdunensia sub Innocentio IV, et Gregorio X celebrata multos canones condidissent, Bonifacius VIII ex iisdem Decretalibus et canonibus novam collectionem ordinavit. Haec non secus atque Gregoriana quinque libris, et eo-

dem titulorum ordine digesta est, et vulgo *Sextus Decretalium* vocatur, veluti quinque librorum Gregorianae collectionis appendix quaedam et complementum. Ab ipso Bonifacio publicata, et legali auctoritate munita est. Ejus capita sic allegantur: *cap. Quicumque, de Haeret. in* 6, hoc est, capite, quod incipit Quicumque, de haereticis in Sexto Decretalium.

Paulo post alia collectio subsequuta est. quae *Clementinarum* nomine venit, propterea quod Summus Pontifex Clemens V ex canonibus Concilii Viennensis, cui ipse praefuit, et ex nonnullis Constitutionibus ab se editis conficiendam curavit. In hac etiam collectione ordo Decretalium Gregorii IX servatus est. Sed Clemens morte praereptus collectionem suam edere non potuit. Eam itaque Joannes XXII ejus Successor in publicam lucem protulit. Citantur ejus capita hoc modo: *cap. Etsi, de Rescript. ex Clement.*, hoc est, capite Etsi, de Rescriptis ex Clementinis; vel *Clement. Si furiosi de Relig. domib.*, nempe Clementina Si furiosi de religiosis domibus.

Reliquae sunt duae aliae Decretalium collectiones, quarum altera *Extravagantium Joannis XXII*, altera *Extravagantium Communium* appellatur. Prior viginti tantum Decretales unius Joannis XXII, altera non unius, sed viginti quinque Pontificum Decretales ab Urbano IV (si vera inscriptio sit cap. 1 de simon.) usque ad Sixtum IV complectitur. Prior ob exiguum Decretalium numerum unico libro, sive 14 titulis, sine librorum distinctione absolvitur, altera in quinque libros distribuitur.

Utraque incertum auctorem habet, neque etiam compertum est qua auctoritate utraque promulgata, ac in Corpus Juris Canonici relata sit. Verumtamen hujusmodi *Extravagantes* praeterquam quod communi usu receptae fuerint, ex propria origine, videlicet a Summis Pontificibus, ex quibus singulae prodierunt, vim legalem sortitae sunt. Extravagantes Joannis XXII sic allegantur: *Extrav. Cum inter nonnullos Joannis XXII de verbor. signific.*: extravagantes vero communes ita citantur: *Extrav. Rem non novam de dol. et contumac. inter commun.*

Itaque ex quinque hujusmodi collectionibus, nempe *Decretalium Gregorii IX, Sexti Decretalium,* et duarum *Extravagantium* Corpus Juris Ecclesiastici conflatum est; *nam quemadmodum Jus Civile Romanorum ubique pene gentium pro jure communi habetur, ut nimirum, Jure patrio consuetudinario deficiente, causae civiles, et reipublicae negotia ex illo dirigantur, et si quid in lege patria, aut consuetudine dubii occurrat, ex Jure Romano dilucidationem accipiat; ita quoque causae ecclesiasticae, ac exterior Ecclesiae politia Jure Canonico, tamquam Jure communi diriguntur, dirimuntur et deciduntur, et si quid difficultatis in Jure Ecclesiastico particulari, aut consuetudinario occurrat, ex illo interpretationem accipere debet,* ut inquit Van-Espen in tract. hist. canon. par. 8 cap. 3 §. 1. Nam quod ad speciales locorum consuetudines et statuta pertinet, celebris est Constitutio Bonifacii VIII in cap. *Licet* de Constit. in 6 ibi: *Quia Romanus Pontifex locorum specialium consue-*

tudines et statuta, cum sint facti, et in facto consistant, potest probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, per Constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare. Quo ex capite Bohemerus perperam colligit, Jus Pontificium etiam in foris catholicorum subsidiarium esse, adeoque tum denique incipere auctoritatem et vim legis habere cum jus patrium vel consuetudo defuerit. Haec sententia, ut praeclare animadvertit Zallwein de Princ. Jur. Eccl. lib II q. 4 cap. 1 §. 3. *falso innititur supposito, aut subvertit statum quaestionis. Id facile damus, quod Decretales eatenus habuerint auctoritatem et usum, quatenus non adversabantur juribus et consuetudinibus particularibus, propter communem regulam, quod leges particulares derogent universalibus; sed quis inde inferre auserit: ergo Jus universale habet vim Juris mere subsidiarii? Sane consecutio pessima, ex qua ulterius consequi necessum foret, quod nullum Jus commune et universale sustineat vices Juris principalis, cum nulla detur respublica, nulla provincia, quae non regatur quibusdam juribus, et consuetudinibus particularibus. Quis haec aequo animo sustineat? Manet ergo Jus Ecclesiasticum Decretalium in sua possessione, et illis, qui Jus particulare contrarium praetendunt, incumbet probatio.*

§. 59.

DE RUBRICIS, SUMMARIIS, ET GLOSSIS

In Corpore Juris Canonici praeter capita, sive canones occurrunt etiam Rubricae, Summaria, et Glossae. Rubricae sunt titulorum inscriptiones, ducto nomine a litteris rubris, quibus olim scribebantur. Bifariam dividuntur, videlicet in *praeceptivas*, et *non praeceptivas*. Praeceptivae dicuntur, quae sensum perfectum exhibent, ex. gr. ne Sede vacante aliquid innovetur. Hujusmodi rubricae allegari possunt *dispositive*, sicut Canonistae loquuntur; hoc est vim legis habent, utpote quae a Legislatore profectae, vel confirmatae sunt. Contra vero rubricae Gratianei Decreti, quia vel a Gratiano, vel ab alio privato homine confectae fuerunt, auctoritate legis destituuntur. Rubricae non praeceptivae vocantur, quae perfectum sensum non habent, sive quae nihil praecipiunt aut vetant, ex. gr. de Constitutionibus, de Testamentis, et id genus aliae, quae idcirco tamquam leges haberi non possunt, quia nihil certi praefiniunt. Attamen allegari possunt *declarative*, quatenus declarando canoni omnino valent, si verba ejusdem canonis ambigua sint. Sic Glossa in cap. *Cum Monasterium*, ad haec canonis verba « *Postulationi eorum praebuisti assensum* » infert eo in casu non meram postulationem, sed electionem celebratam fuisse, propterea quod canon sub rubrica *de electione*, et non *de postulatione* recensetur.

Summaria sunt breves illae periodi, quibus canones

sub titulis, seu rubricis singulis inclusi summatim exponuntur, eorumque sententiae sub uno veluti aspectu ponuntur. Haec Summaria maximo in pretio habenda sunt, et canonibus interpretandis valde prosunt. Attamen legis vi carent, quod a privatis scriptoribus adjecta sint.

Glossarum nomine intelligimus illas canonum interpretationes seu commentaria, quibus aut sententiae, aut verba canonum exponuntur. In Corpore ipsius Juris ad marginem textus collocantur, sed privatorum opera exaratae sunt, nec unquam pro lege approbatae; quamobrem tamquam privatae interpretum explanationes habendae sunt.

§. 60.

DE JURE NOVISSIMO

Jus novissimum vocamus regulas omnes ecclesiasticas, quae post recensitas adhuc collectiones a legitima potestate constitutae sunt. Praemonendum est, in Corpore Juris Canonici neque ullas Pontificum Constitutiones post Sixtum IV inveniri, neque etiam ullos canones Conciliorum, sive provincialium a Gregorio IX ad nostram usque aetatem, sive generalium post Viennense celebratorum eodem Corpore Juris contineri. Igitur Jus novissimum conficitur 1.° ex canonibus Conciliorum, qui in Corpore Juris communis non extant: 2.° Constitutionibus Summorum Pontificum post Sixtum IV editis: 3.° ex Regulis Cancellariae. His nonnulli Canonistae addunt *Concordata* seu pacta inter Apostolicam Sedem, et varias nationes conventa.

Jam vero *canones Conciliorum et Decretalium Pontificum*, quae post Sixtum IV prodierunt, in novam collectionem cogere primus omnium Gregorius XIII meditatus est; sed, nondum opere absoluto, supremum diem obivit. Tum Sixtus V in idem opus incubuit, sed eo quoque mortuo, opus sub Clemente VIII confectum, et typis editum est sub titulo « *Liber Septimus Decretalium Clementis VIII* », quasi post Sextum Decretalium Bonifacii VIII subjiciendus. Veruntamen obortis difficultatibus, quas late commemorat Fagnanus in cap. *Cum venissent* de judic., *suppressa fuit*, ut ipsius Fagnani verbis utamur, *hujus voluminis publicatio miris elucrubata laboribus et vigiliis, et Praesulum, Gymnasiorum, totiusque Ecclesiae vocibus efflagitata.*

Eodem ferme tempore Petrus Matthaeus Juris Consultus Lugdunensis ex Decretalibus a Sixto IV ad Sixtum V editis novam collectionem privato studio composuit, quam anno 1590 evulgavit. Hoc opus in aliquibus Corporis Juris editionibus post Extravagantes Communes adjectum est sub titulo « *Liber Septimus Decretalium Constitutionum Apostolicarum adjectus ad plenam et perfectam Juris Apostolici cognitionem* ». Sed hujusmodi Codex publica auctoritate caret. In eo quoque vitia non desunt, et multa utilia desiderantur.

Sub eodem Sixto V, Laertius Cherubinus ad colligendas *Pontificum Constitutiones* sua studia contulit, et quotquot invenire potuit extra Corpus Juris vagantes a S. Leone Magno ad ipsum Sixtum V, servato temporis ordine, in unum volumen redegit, quod *Bullarium* appellavit. Opus

deinde suum novis adhibitis curis multum auxit, sed non perfecit. Hinc ejus filius Angelus Maria Cherubinus plures alias Constitutiones adjecit usque ad Innocentium X, et Bullarium magnum quatuor voluminibus compactum typis romanis edidit anno 1638. Huic deinde quintum volumen accessit, quo Angelus a Lantusca, et Paulus a Roma Constitutiones Urbani VIII, et posteriorum Pontificum usque ad Clementem X complexi sunt. Sed omnium amplissimum et praestantissimum est Bullarium Magnum ab Hieronymo Mainardi editum Romae, et in quatuordecim tomos distributum. In eo Constitutiones Summorum Pontificum a Leone Magno ad Clementem XII continentur. Constitutiones etiam Benedicti XIV tomis quatuor comprehensae in publicam lucem prodierunt. Solae Constitutiones posteriorum Pontificum nondum uno volumine collectae sunt.

Hae vero Bullarum collectiones privatorum hominum opera confectae sunt. Similiter in Conciliorum actis et canonibus colligendis operam tum laboriosam, tum utilem plures viri docti contulerunt. Atque alii quidem unius nationis aut provinciae Concilia, alii vero omnia ubivis gentium celebrata collegerunt. Omnium autem praestantissima est Conciliorum collectio, curante *Nicolao Colleti* Venetiis edita, cujus supplementum dedit *Dominicus Mansi* Lucae anno 1748.

Regulae Cancellariae sunt leges quaedam, seu regulae num. 72, quibus Cancellariae Apostolicae negotia expediuntur. Hae vero a caeteris Constitutionibus differunt, quod morte cujusque Pontificis vim suam amittunt, donec

a novo Pontifice confirmentur. De his praecipue sermo est in tractatu de *Beneficiis*.

Ad *Concordata* quod attinet, Apostolica Sedes cum multis Nationibus et Regnis Concordata de negotiis Ecclesiasticis inivit. - Cum Romanus Pontifex, ut praeclare scripsit Augustinus De Roschovany in suo libro de Primatu Romani Pontificis §. 84, vi Primatus supremam omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerat, ad augmentum boni Religionis et Ecclesiae Catholicae semper vigilare et curare debet, ut cum Civilibus Guberniis de securitate et libertate Ecclesiae, de jurisdictione et disciplina, de privilegiis et immunitatibus amicabiliter tractet, et pacta ineat legibus Ecclesiae conformia. Verbo, jus Concordata ineundi arctissime cohaeret cum natura Primatus, et universalis inspectionis Ecclesiae. Concordata porro hoc etiam nomine gravissimi sunt tum pro Ecclesia, tum pro Civitate momenti, quod dum per illa nexus utriusque insigniter emicat, e re utriusque pariter sit, ut eadem in vim legum fundamentalium assumantur.

Veruntamen acerrimi Concordatorum hostes extiterunt, qui ea vehementer insectati sunt tamquam libertati populorum infensa, atque excogitata ad Romanorum Pontificum explendam cupiditatem qua ardent ubique terrarum et gentium dominandi; quae quidem ex magno et pervicacissimo in Sedem Apostolicam odio profecta esse, quisque sanus intelligit. Alii autem (utrum vero, an simulato in Ecclesiam studio, Deus scit) improbant Concordata prorsus omnia, propterea quod existimant in Concordatis faciendis aliquod semper vulnus Hierarchiae

Ecclesiasticae divinitus constitutae inferri, perinde ac si Ecclesia de divinis rebus transigere unquam consuevisset. Adversus hujusmodi errores vide eumdem Roschovany citato loco.

Interim vero nostra praesertim aetate a Nationibus et summis Principibus Europae fere omnibus Concordata inita sunt, quod Ecclesiae et Imperio felix faustumque extitit. Haec autem Concordata rationem habent non privilegii, sed pacti, estque illud pactum non temporarium vel personale, sed reale ac perpetuum, quod religiose observandum est.

Febronio temere affirmanti, *Praetendit Curia* (sic Apostolicam Sedem nominat) *Concordatis se non ligari*, respondet Auctor Febronii abbreviati cum notis tom. III. §. 14 Francofurti et Lipsiae 1785. « Ubi probatio? hoc « per se et simpliciter dictum falsissimum est: audiantur « solum ipsi Summi Pontifices Innocentius X, Clemens « VII, Paulus V, Gregorius XIII, dein distinguatur inter « *Potestatem* Summi Pontificis, et *usum Potestatis*, prout « monet Germaniae Canonista D. Barthel Dissert. Gene- « ral. de Concord. cap. 3. sect. 2. num. 3. et 5. Ubi « ait: *cum utilitas communis evidentissima, puta, si mo-* « *derna disciplina in graves, communes et constantes* « *abusus patenter degeneraret etc. aut extraordinaria* « *gravissima flagitaret Ecclesiae necessitas, ex Plenitudine* « *Potestatis, dominante Charitate et prudentia duce, a* « *Summo Pontifice provideri posse, atque hoc sensu e-* « *jusdem Potestatem, generalem superintendentiam, et* « *imperium supremum, veluti essentiale divinitus concessi*

« *primatus reservatum, per concordata inabdicabile, vel* « *potius sub concordatis nunquam comprehensum, coar-* « *ctatumque fuisse, inficiari ego non ausim. Plenitudo* « *enim Potestatis Pontificiae ex jure divino respicit bo-* « *num commune Ecclesiae: ergo quomodocumque pacisca-* « *tur Summus Pontifex, non potest excludere hanc con-* « *ditionem, nisi aliud exigat commune bonum Ecclesiae:* « *atque in ordine ad hoc ipsum condita erectaque sunt* « *Concordata: medium vero desinit esse tale, dum evi-* « *denter fini intento adversatur.* Vides hic distingui in- « ter *Potestatem* et *usum Potestatis*, hunc in Pontifice « ligari per Concordata, Potestatem non ligari, atque in « hoc sensu loquuntur et intelligendi sunt, vel potius com- « binari debent Pontifices et alii, qui dicunt se concor- « datis ligari, et alii ex adverso se non ligari ».

PRAENOTIONES
IN JUS CANONICUM



CAPUT I.

DE JURE CANONICO GENERATIM

§. 1. De nomine Juris Canonici.
§. 2. De Juris Canonici definitione et objecto.
§. 3. De discrimine Theologiam inter et Jus Canonicum.
§. 4. De discrimine inter Jus Civile atque Jus Canonicum.
§. 5. De Juris Canonici amplitudine et necessitate.
§. 6. De Jure Canonico publico et privato.
§. 7. De Jurisprudentia Ecclesiastica.
§. 8. De Canonum divisione.
§. 9. De Canonibus Fidei.
§. 10. De Notis Canonum dogmaticorum.
§. 11. De expositione earumdem Notarum.
§. 12. De Canonibus morum.
§. 13. De Canonibus ecclesiasticae disciplinae.

CAPUT II.

DE FONTIBUS JURIS CANONICI

§. 14. De Fontium Juris Canonici definitione et numero.

DE SACRA SCRIPTURA

§. 15. De Libris Sacrarum Scripturarum.

DE TRADITIONIBUS

DE CONSTITUTIONIBUS SUMMORUM PONTIFICUM

DE CONCILIIS



INDEX

RERUM PRAECIPUARUM IN PRAENOTIONIBUS



NUMERUS INDICAT PAGINAM

B.

C.



JOANNIS CARDINALIS SOGLIA

EPISCOPI AUXIMANI ET CINGULANI

INSTITUTIONUM

JURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

TOMUS SECUNDUS

EDITIO TERTIA AB IPSO AUCTORE RECOGNITA ET AUCTA



MUTINAE 1850

PROSTANT MUTINAE ET REGII LEPIDI APUD EDITORES

NICOLAUM ZANICHELLI ET SOC.

STEPHANUM CALDERINI ET SOC.

EX TYPOGRAPHEO MONETI ET SOC.

INSTITUTIONUM

JURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

LIBRI TRES

JURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

PROEMIUM



Jus publicum ecclesiasticum est, quod totius Ecclesiae, ejusque Rectorum jura et officia determinat; privatum autem, quod christiani populi jura et officia complectitur: de qua definitione dictum satis est in praenotionibus §. 6. Hinc vero facile intelligitur jura publica ad eas tantum societates pertinere, quae stant per se ipsae, nec dominationi cujusquam parent, et ideo *Status* appellantur: Status quippe dicitur, ait Puffendorfius de habit. Relig. Christ. §. 11, *ejusmodi conjunctio plurium hominum, quae imperio per homines administrato, sibi proprio, et aliunde non dependente continetur.* Itaque societatibus, quae in alterius ditione et potestate manent, nulla sunt jura publica; cum enim ejusmodi societates sub imperio sint, in privatorum numero habentur.

Nobis igitu Jus publicum ecclesiasticum tradituris, primum omnium est de Statu Ecclesiae singillatim disserendum. Verum quo magis rerum tractandarum divisio perspicua sit, operae pretium est animadvertere, tria esse de Statu Ecclesiae apud omnes Catholicos certa et explorata.

Primum est: Ecclesiam a Christo fundatam *Statum* esse, sive ut ajunt *Societatem inaequalem,* in qua scilicet alii sunt aliis potestate et ordine inaequales, propterea quod aliquorum est praeesse et imperare, aliorum vero obtemperare et subjectos esse, eamque a civili societate omnino distinctam esse, ab eaque minime dependentem.

Alterum est: Ecclesiasticam potestatem non toti Ecclesiae a Christo traditam, sed certis designatisque personis, nempe Petro, et Apostolis, eorumque Successoribus.

Tertium denique est: Eidem potestati ea omnia divino jure obnoxia esse, quae ad cultum Dei, et animarum salutem pertinent.

Verum haec tria catholicae doctrinae capita adversarios habent Protestantes, Richeristas, et Regalistas.

Protestantes contendunt, Christum Ecclesiae suae nullam imperandi potestatem dedisse, sed eam fundasse instar *Collegii,* seu, *societatis aequalis,* in qua Socii omnes sunt inter se pares et aequales, quatenus nemo alteri praestat imperio et potestate, proindeque Ecclesiam, uti Collegia et caeteras societates aequales, posse pactiones quasdam inire, statuta condere, docere, monere, non vero leges ferre, jus dicere, condemnare, punire; et praeterea illius Principis in cujus territorio est, summo imperio potestatique subjectam esse.

Richeristae non usque eo Ecclesiam deprimunt, attamen asseverare non dubitant, potestatem regendi gubernandique non Petro, et Apostolis, eorumque Successoribus, adeoque nec Pontifici et Episcopis, sed universo populo christiano divinitus datam esse.

Regalistae denique (sic dicti, propterea quod regibus, sive potestati civili, nimium favent) juribus Ecclesiae ita detrahunt, ut res, si non spirituales, at certe spiritualibus adnexas, et disciplinam externam eidem potestati civili subjiciant.

Contra tres hujsmodi errores tribus distinctis libris disputabimus, quorum

I. De Statu Ecclesiae.

II. De Rectoribus Ecclesiae, eorumque juribus et officiis.

III. De Personis et rebus potestati Ecclesiae subjectis.

Nolim vero quemquam existimare, nos tractandis controversiis , non Institutionibus tradendis operam daturos ; eorum enim omnium, quae ad Juris ecclesiastici publici Institutiones pertinent, hic simplicem et dilucidam expositionem benevolus lector inveniet. Pugnabimus quidem pro sententiis nostris, veruntamen admodum parce, et quantum ratio Institutionum patitur.



LIBER I.

DE STATU ECCLESIAE

Prima Juris publici ecclesiastici quaestio, qua veluti fundamento Jus ipsum nititur, haec est, *an Ecclesia sit Societas inaequalis, sive Status.*

Nos affirmamus Ecclesiam *Statum esse*, multaque sunt argumenta, eaque firmissima et ipsa luce clariora, quibus tueri sententiam nostram possumus, sed ea quae sequuntur satis esse existimamus.

Sic itaque argumentamur. Ex definitione Puffendorfii *Societas inaequalis, sive Status, est consociatio plurium hominum, quae imperio per homines administrato, sibi proprio, et aliunde non dependente continetur.* Atqui ex institutione Christi Ecclesia est consociatio hominum, quae per homines, hoc est per Petrum et Apostolos, eorumque Successores administratur cum imperio sibi proprio, nec aliunde dependente; Ergo Ecclesia est Societas inaequalis sive Status.

Minorem propositionem toto hoc libro probaturi sumus, planum faciendo 1.° Ecclesiae administrationem Petro et Apostolis, eorumque Successoribus a Christo fuisse traditam cum potestate imperandi: 2.° eamdem imperandi potestatem ipsius Ecclesiae propriam esse, nec aliunde dependentem:

deinde argumenta, quae a Protestantibus contra objici solent, breviter diluemus.

Protestantes jam ab initio reformationis omnem Ecclesiae potestatem labefactare conati sunt, eamque in suos Principes transtulerunt, ut iis adularentur, quorum auxilio atque auctoritate indigebant. Id autem jure factum fuisse Puffendorfius contendit, in eamque sententiam librum edidit *de habitu religionis christianae ad vitam civilem,* quo distinctionem societatum in *aequales* et *inaequales* a se excogitatam in medium protulit. Quam quidem opinionem tamquam a coelo delapsam Protestantes omnes susceperunt, ejusque auctorem summis laudibus celebrarunt. *Nemo,* inquit Pfaffius pag. 199 edit. Tubing., *ante Puffendorfium fuit, qui Jus ecclesiasticum Protestantium certis regulis fundamentalibus superstrueret : hic primus fuit, qui Ecclesiam nonnisi Societatem, et Collegium aequale in civitate esse docuit, tradidit, et commonstravit.* Itaque pretium operae duximus Societatis inaequalis definitionem a Puffendorfio accipere ejusque ipsissima verba retinere, ut adversus eos, qui nobis adversarii sunt, propriis eorum armis pugnaremus.

CAPUT I.

§. 1.

DE ECCLESIAE ADMINISTRATIONE PETRO ET APOSTOLIS TRADITA

Administrationem Ecclesiae Petro et Apostolis, eorumque successoribus a Christo traditam fuisse, apertissime demonstrant Christi ipsius verba ad Apostolos, Joannis XX, 11: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*: et Matth. XXVIII, 18: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Quibus sane verbis Apostoli missi sunt ad fundandam ubique gentium Ecclesiam, eamque administrandam; fundatur siquidem Ecclesia, dum Evangelium annunciatur, atque ii, qui credunt, Baptismate abluti in Christianorum Societatem cooptantur: administratur vero dum fideles in doctrina tradita et observantia praeceptorum continentur.

Ad eamdem Ecclesiae administrationem pertinent haec Christi verba ad eosdem Apostolos, Matth. XVIII 15: *Amen dico vobis: quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo.* Quid enim est istud ligare et solvere? Num funibus et vinculis? Absit ab homine sanae mentis hujusmodi rem opinari. Itaque sen-

sus eorum verborum moralis est; et ligari homines dicuntur praeceptis, legibus, sententiis, votis, juramentis etc.; solvuntur autem absolutionibus, dispensationibus, legum abrogationibus etc. Ergo Apostolis concredita est totius Ecclesiae administratio cum potestate ligandi et solvendi, videlicet jubendi, vetandi, dispensandi, absolvendi, et agendi reliqua, quae sunt hujusmodi.

Allata Christi verba: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.... Euntes docete omnes gentes.... Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis*, Petro pariter et caeteris Apostolis dicta sunt; ideoque Petrus et Apostoli pares erant in potestate Apostolatus, sive ut ait S. Cyprianus in libro de Unitate Ecclesiae: *Hoc erant utique et caeteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris, et potestatis.*

Sed, salva Apostolatus potestate, caeteris Apostolis praelatus est Petrus. Nam UNI Petro a Christo dictum est: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram etc.* Quibus verbis significatur, Petrum in Ecclesia futurum, quod est fundamentum in domo, super quo scilicet tota domus innititur, eique promittuntur CLAVES coelorum, quae sunt supremae potestatis indicia. Namque traditio Clavium ex usu loquendi Scripturae largitionem supremae potestatis significat. Ita apud Isaiam XXII v. 22 suprema potestas sacerdotalis Eliacimo promissa est his verbis: *Dabo* CLAVEM *domus David super humerum ejus, et aperiet, et nemo erit qui clau-*

dat, et claudet, et nemo erit, qui aperiat. Et apud Lucam XI v. 52 Christus: *Vae vobis*, inquit, *legis peritis, quia tulistis* CLAVEM *scientiae*, hoc est, qui vobis summam interpretandi Scripturas auctoritatem assumitis. Et eadem loquendi formula occurrit in Apocalypsi III v. 7, qua supremum Christi imperium in regno Dei significatur.

Praeterea (Joann. XXI 15, 16, 17) Christus praesentibus reliquis Apostolis UNUM Petrum ter interrogat: *Simon Joannis diligis me plus his?* Et trinae interrogationi cum Petrus respondisset: *Domine tu scis, quia amo te*, Christus ter subdit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quid porro sibi vult isthaec iterata de amore interrogatio, istud iteratum pascendi gregis mandatum? Quid magnifica verba non ad Jacobum, non ad Joannem, non ad alterum ex praesentibus Apostolis, sed ad UNUM Petrum: *Pasce agnos meos, pasce oves meas?* Jam vero cui dicitur PASCE, is constituitur Pastor: cui dicitur PASCE AGNOS MEOS, PASCE OVES MEAS, is constituitur Pastor universalis, Pastor totius gregis, Pastor fidelium et Pastorum. Ad rem S. Bruno Astensis homilia in vigilia festi S. Petri ait: *Prius agnos, deinde oves ei commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorem Pastorum eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves: pascit filios, pascit et matres: regit et subditos et Praelatos. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est.* Petrus itaque Apostolorum Princeps constitutus, et Primatum non modo honoris, sed etiam jurisdictionis, hoc est, curam totius

Ecclesiae suprema cum potestate conjunctam ab ipso Christo accepit.

Hoc dogma de Primatu divinitus constituto ex unanimi Sanctorum Patrum consensu et perpetua Ecclesiae doctrina confirmatur. Cum nimis longum esset omnes Sanctorum Patrum sententias in medium proferre, nos aliquas tantummodo adnotabimus. Apud Origenem in cap. 6 ep. ad Romanos legitur: *Petro Summa rerum de pascendis ovibus tradita, et super ipsum, veluti petram, fundata Ecclesia.* Apud S. Cyrillum catechesi II et XI legitur: *Petrus Apostolorum Summus et Princeps.* Apud S. Ephrem Syrum serm. de compunct. Petrus vocatur *Princeps ac vertex Apostolorum.* Apud S. Gregorium Nyssenum serm. 2 de S. Stephano Petrus dicitur *Apostolici chori Princeps et Coriphaeus.* S. Augustinus lib. II de Baptismo tom. IX col. 97 edit. Venetae de Petro dicit: *In quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet.* S. Ambrosius lib. X in Lucam de Petro scribens ait: *Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui praeferendum?* S. Chrysostomus hom. V de Petro inquit: *Ecclesiae Praefectura per universum mundum traditur.*

Apostoli ipsi, quamquam plurimis donis et ingenti potestate aucti essent, *attamen*, ait De Marca in dissert. de singulari Primatu Petri num. 5, *majestatem ejus* (Petri), *uti Capitis a Christo constituti, duobus praecipue modis colere debebant.*

Primus modus colendae in Petro Primatus dignitatis versabatur in communione cum Capite retinenda. Quae communionis necessitas dupliciter spectari poterat; vel habita ratione Aposto-

lorum, qui ex officio ad communionem cum Petro, ut Capite, conservandam tenebantur; vel etiam ratione habita Ecclesiarum, quas per provincias ipsi instituebant, ea lege, ut Petrum tamquam Ecclesiae Caput respicerent, ejusque regimini subjicerentur. Isthaec, quam observavi, necessitas verbis Christi praescripta est. Etenim, ut Ecclesiae unitatem solidaret, UNI *claves tradidit, ut docent veteres superius laudati; et super Petrum aedificandae Ecclesiae petram dictum, totius aedificii compagem imposuit. Quare nullus coetus poterat esse legitimus, nullus Ecclesiae Pastor admitti, qui a Petro, id est, ab ejus communione discederet. Constantiam fidei Ecclesiae quidem suae Christus solemni formula pollicetur, adeo ut inferorum vires eam expugnare non possint; sed illi Ecclesiae hoc privilegium spopondit, quae aedificata esset super petram, quae fundamento illo niteretur.....*

Secundus modus colendi Primatus is erat, ut causas communes ad universalis Ecclesiae disciplinam pertinentes Apostoli ad eum, tamquam ad Collegii et Ecclesiae Principem, discutiendas referrent. Quod factum a Paulo in quaestione de rituum judaicorum usu a gentilibus ad fidem conversis retinendo.

De Primatu S. Petri agunt Bellarminus de Rom. Pontifice lib. 1 cap. 12 et 13, Mamachius orig. et antiquit. christ. lib. 4 par. 2 cap. 1 §. 4, Ballerinius de vi et ratione Primatus Rom. Pont. cap. 9 num. 5, et Theologi passim.

§. 2.

DE POTESTATE EIDEM PETRO ET APOSTOLIS CONCESSA

Videndum modo est qualis quantaque potestas Petro et Apostolis tributa fuerit ad Ecclesiam administrandam. Tritum est sermone adagium: *qui vult finem vult media.*

Cum itaque finis Ecclesiae sit cultus Dei et salus animarum, minime dubitandum est, quin Christus omnem eis potestatem dederit, quae ad finem obtinendum pertineret. Eos proinde duplici potestate auxit *ordinis*, et *jurisdictionis.* Prima ad ministerium sacrum, altera ad regimen Ecclesiae pertinet. Hanc duplicem potestatem nonnulli Canonistae, atque etiam Theologi partiuntur ac dividunt in potestatem *ministerii*, *magisterii*, et *imperii.* Potestas ministerii Sacramenta, resque sacras administrat. Potestas magisterii res fidei et morum docet atque definit. Potestas denique imperii ad Ecclesiae gubernationem spectat, conjunctamque auctoritatem habet condendarum legum, judicandi, poenisque coercendi. At nos veterem et usitatam divisionem sequimur, et potestatem Ecclesiasticam partimur in potestatem *ordinis*, et *jurisdictionis;* quandoquidem haec divisio ad naturam potestatis Ecclesiasticæ explicandam aptior esse videtur. De potestate vero magisterii opportunus erit dicendi locus, ubi de juribus et officiis Summorum Pontificum seorsim agentes ostendemus quod et quale docendi munus Summi Pontifices in universa Ecclesia, et Episcopi in sua quisque Dioecesi acceperint.

§. 3.

DE POTESTATE ORDINIS

Potestas ordinis est, qua Sacrificium offertur, Sacramenta administrantur, sacrae functiones peraguntur. De divina potestatis hujus institutione nullum ambigendi locum Tridentina Synodus reliquit sess. 23 de Sacramento

Ordinis capite 1: *Si quis dixerit non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi verum Corpus, et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi..... anathema sit.*

Potestas ordinis per sacram ordinationem confertur, neque amitti potest, nec auferri, quia character, unde profluit, deleri nequit, sed perpetuo inhaeret ita, ut qui sacerdos semel fuit, laicus rursus fieri non possit. Hinc S. Augustinus libro II adversus Parmenianum cap. 13 de Clericis in schismate Donatistarum charactere ordinis insignitis ait: *Non sunt iterum ordinandi, sed sicut in eis Baptisma, ita Ordinatio mansit integra.*

Vocatur autem potestas ordinis, propterea quod per diversos Ministrorum ordines sive gradus distributa est, inter quos Episcopi principem locum tenent. Qua de re Concilium Tridentinum sess. 23 can. 6 definivit: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, anathema sit.*

Quicumque ad Hierarchiam ordinis pertinent, communi vocabulo appellantur *Clerici*; ceteri vero qui in Ecclesia sunt, *Laici* dicuntur: quae quidem personarum divisio divino ex jure proficiscitur. In primis enim Apostoli distinguunt Fideles in *Gregem*, et *Episcopum*: aliquando etiam in *Ministros*, et *Fideles*. Non utuntur quidem nominibus *Clericorum*, et *Laicorum*; at res ipsa diserte proponitur, eaque nomina usurpari deinde coepta sunt ad rem melius significandam: praeterea cum potestas conficiendae Eucharistiae, et Sacrificii offerendi, sive al-

terius sacri muneris obeundi non aliis a Christo concessa fuerit, nisi iis, qui in Sacerdotium consecrarentur, dubitare non licet, quin ii, qui ad sacra facienda divino jure selecti sunt, eodem quoque jure a ceteris omnibus potestate et ordine distinguantur.

§. 4.

DE POTESTATE JURISDICTIONIS

De potestate ordinis nihil attinet plura dicere. Sed uberius ac fusius de potestate Jurisdictionis disputandum est. Jurisdictio definitur potestas juris dicendi. Verum in Jure Canonico nomen jurisdictionis latius accipitur, eoque intelligitur omnis ea imperii potestas, qua Ecclesia regitur et gubernatur. Protestantes, ut diximus, contendunt totam Ecclesiae potestatem in docendo et monendo, nequaquam in imperando sitam esse; quo posito inferunt a Societatibus inaequalibus Ecclesiam longe abesse, eo quod imperium non habeat, sine quo Societas inaequalis nec esse, nec concipi potest. Sed quaerimus quid est imperare? Profecto est leges imponere, scilicet jubere, vetare, jus dicere, poenisque coercere. Ergo Ecclesia imperat, sive imperium habet; etenim jure divino potest leges ferre, judicare, et punire; id quod distincte accurateque probandum sumimus.

Jurisdictionis potestas confertur per legitimam missionem, quae definiri solet: *Legitima assignatio subditorum*; sive ut aliis placet: *Deputatio legitima ad exercendum munus spirituale*, sine qua quivis actus jurisdictionis nullus et irritus est.

Nonnulli interpretes Juris Canonici rati sunt, ad assequen-

dam utramque potestatem ordinis et jurisdictionis, in antiqua Ecclesiae disciplina solam ordinationem satis fuisse, et recentiori tantum aevo duplicem et distinctum modum utriusque potestatis conferendae adhibitum esse, ut nimirum praeter ordinationem singularis etiam MISSIO, seu assignatio gregis requireretur. Quae quidem opinio, si eo sensu explicetur, ut videlicet veteri Ecclesiae more et instituto potestas jurisdictionis in certam plebem simul fere cum ordinatione traderetur, redarguenda non erit. Sed fatendum est' duos semper fuisse distinctos actus ORDINATIONEM, et MISSIONEM, quatenus is ordinabatur, qui secundum canones ad aliquam Ecclesiam regendam electus fuerat. Qua de re habemus gravissimum judicium Tridentinae Synodi, quae ad legitimos Ecclesiae Ministros constituendos ordinationem, et missionem necessariam definivit can. 7 sess. 23: *Si quis dixerit eos, qui nec ab ecclesiastica, et canonica potestate rite* ORDINATI, *nec* MISSI *sunt, legitimos esse Verbi, et Sacramentorum Ministros, anathema sit.* Hanc autem legitimam missionem requiri etiam in foro interno, seu poenitentiali, idem Concilium declaravit cap. 6 sess. 14: *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur,* PERSUASUM SEMPER *in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

§. 5.

DE POTESTATE LEGUM FERENDARUM

Plura sunt argumenta, quibus apertissime demonstratur, esse in Ecclesia condendarum legum potestatem. Primum argumentum ducitur ex jure *ligandi*, et *solvendi*, quod Christus Apostolis tribuit illis verbis: *Quaecumque*

ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis. Enimvero LIGARE et SOLVERE non *physice* accipiendum est, sed *moraliter*, et significat morale vinculum, seu obligationem, quae alicui imponitur, agendi quidpiam vel non agendi; quod vere et proprie est legem constituere. Igitur in jure ligandi et solvendi potestas legum ferendarum continetur. Praeterea *potestas clavium*, et ea Christi verba Matth. 18 v. 17. - *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, potestatem ferendarum legum satis indicant.

Accedit factum Apostolorum. Hi sanctissimi Viri divinitus instituti, et ab omni cupiditate dominandi prorsus remoti, dum etiam Imperatores et magistratus civiles infensi erant christiano nomini, hanc sibi potestatem vindicarunt, quotiescumque id Ecclesiae necessitas vel utilitas postulabant. Ad vitandam offensionem Judaeorum Act. 15 tulerunt legem de abstinentia a *sanguine et suffocato*, eamque ONUS appellarunt, *scribentes per manus eorum etc.* De qua epistola synodica praeclare Chrysostomus hom. 33 in acta: *Potuissent certe*, inquit, *multo plura praecipere, et absque litteris, sed epistolam mittunt ita ut sit lex scripta...... vide brevem epistolam nihil abundans habere, neque epicheremata, neque syllogismos, sed imperium.* Eadem potestas elucet in diversis S. Pauli epistolis: *Laudo vos, quod praecepta mea teneatis* (I Corinth. cap. 11). *Scitis quae praecepta dederim vobis* (I ad Thess. 4). Et passim in Apostolorum epistolis legimus sancitas leges de dotibus Episcoporum, de biga-

mis non ordinandis, de neophytis non evehendis, de modo judicandi Presbyteros, de connubiis, deque aliis id genus multis, quae ad externam Ecclesiae disciplinam spectant.

Successores etiam Apostolorum ubique et semper ea potestate usi sunt. Nimis longum esset canones, hoc est, leges ac decreta, sive a Conciliis generalibus et particularibus, sive a Summis Pontificibus condita et promulgata recensere, ex quibus Corpus Juris Canonici conflatum est.

Ipsi summi Principes hanc nativam propriamque Ecclesiae potestatem agnoverunt. *Si civiles leges,* inquit Justinianus in praef. Nov. 127, *quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab hominibus custodiri ad obedientium securitatem studemus; quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum, et divinarum legum custodiam, quae super salute animarum nostrarum definitae sunt?* Et cap. 1: *Si enim illa, quae a laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem et vindictam manere, quomodo a S. Apostolis et Patribus super omnium hominum salute canonica statuta despici patiemur?*

Ea proinde est vis et potestas legum ecclesiasticarum, ut iis, quos respiciunt, obtemperandi necessitatem imponant. Nam illis Christi verbis (Lucae 16) - *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit* - apertissime significatur, Rectoribus Ecclesiae perinde ac ipsi Deo obtemperandum esse. Audire enim est obedire, obtem-

perare. Paulus quoque monet in epistola ad Hebraeos 13 v. 17 : *Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Itaque in Apostolorum actis VI v. 4 legimus: *Perambulabat* (Paulus) *Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et Seniorum.* Quibus verbis sicut praecipiendi potestas in Apostolis, sic obtemperandi obligatio in fidelibus evidentissime demonstratur. Quapropter Tridentina Synodus obligationem parendi Ecclesiae legibus, veluti dogma fidei definivit sess. 7 can. 8, sess. 13 can. 9, sess. 14 can. 8.

Vide Eman. Gonzalez in Commentariis Decretalium ad cap. 1 tit. 2 de Constitutionibus, Mart. Gerbert de legitima ecclesiastica potestate circa Sacra lib. 1 cap. III §. 2, et Ansel. Molitor in dissertatione de potestate Ecclesiae legislativa.

§. 6.

DE POTESTATE JUDICANDI

Dubitari non potest, ait Concilium Cameracense anno 1565, *quin existat ecclesiasticum forum duplex, CLAVIUM nomine a Christo Domino designatum, unum Sacramenti Poenitentiae, quod proprie conscientiam spectat, in quo reus ex sua ipsius confessione ligatur, aut solvitur; alterum jurisdictionis, externaeque politiae, in quo reus convincitur per testes, judicatur, damnatur, puniturque.* Non est hujus loci ea persequi, quae ad

forum internum pertinent. Nobis agendum est de potestate judicandi in foro externo, quae potestas in cognoscendis, et definiendis causis ecclesiasticis etiam criminalibus versatur.

Minime sane dubitandum est, quin causae ecclesiasticae, quae nimirnm ad fidem, mores, et disciplinam spectant, foro ecclesiastico addictae sint; etenim *negotia ecclesiastica,* ex Vigilio P. ep. 15, *Episcoporum judicio reservata sunt, idque juxta ecclesiasticum morem, juxta paternas traditiones, juxta omnem auctoritatem evangelicae, apostolicaeque doctrinae.* De quaestione Antiochiae orta, an circumcisio aeternae saluti consequendae necessaria esset, Apostoli in concilium congregati sententiam pronunciarunt his verbis: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis*; quibus quidem verbis praesentiam Sancti Spiritus, divinamque judicandi potestatem, qua praediti erant, declararunt. *Erant illi divinitus creati judices ejusmodi controversiarum de religione, neque liberum idcirco Antiochenis erat, utrum ad eos litem suam deferre vellent, nec ne: verum jus ipsum divinum jubebat eos ad Apostolorum tribunal accedere,* ut ipse Moshemius verissime tradidit de rebus christ. ante Constantinum M. saec. 1 §. 56. Apostoli seorsum etiam in causis ecclesiasticis judicarunt, et Paulus exercendi judicii normam Timotheum docuit. Eadem potestate Ecclesiae Antistites perpetuo usi sunt, quorum judiciis religiosi Principes, qui imperium tenuerunt, obsequentes maxime fuerunt; tantum abfuit, ut ullam majestati suae injuriam fieri arbitrarentur. Hinc Basilius Imperator ad Synodum Oecumenicam

VIII inquit: *Non est datum laicis, aut iis, qui civilibus officiis mancipantur, secundum canonem dicendi quidpiam penitus de ecclesiasticis causis...... quantaecumque enim religionis et sapientiae laicus existat, vel etiamsi universa virtute interius polleat, donec laicus est, ovis est.* Materia vero judiciorum ecclesiasticorum sunt 1.° causae spirituales de fide, de moribus, de Sacramentis, de sacris ritibus, aliisque ad religionem pertinentibus: 2.° causae ecclesiasticae, quae ad Ecclesiae gubernationem, sive politiam spectant, veluti de electionibus, de institutionibus, de juribus et officiis clericorum, et hujusmodi: 3.° causae spiritualibus adnexae, et mixtae: 4.° causae Clericorum ratione immunitatis a foro laico: 5.° denique causae criminales, sive de criminibus ecclesiasticis. Veruntamen hujusmodi causae omnes cur, et quatenus ad ecclesiasticum forum pertinent, singillatim videbimus libro tertio.

Sed hic silentio praeterire non debemus opinionem eorum, qui distinctionem fori ecclesiastici criminalis a foro poenitentiali non semper in Ecclesia extitisse autumant, sed demum undecimo, et duodecimo saeculo inductam esse. *Licet enim Episcopi,* ait Van-Espen Jur. Eccl. par. 3 cap 1, *in peccata inquirerent, testes audirent, censuris aliisque canonicis poenis contra peccatores procederent, tamen haec omnia unice ad ipsius peccatoris reconciliationem tendebant; imo omnia, quae Episcopi circa crimina exercebant, cum Poenitentiae Sacramento connectebantur, atque ad ipsum forum internum Poenitentiae, sive antecedenter, sive consequenter reducebantur.*

At vero quantum haec opinio a veritate abhorreat cognosci facile poterit, si animadvertamus a primis saeculis in Ecclesia fuisse externum forum, in quo accusationes recipi non poterant, nisi sub certo numero testium. S. Paulus ep. I cap. 5 v. 19, ad Timotheum Episcopum scribens, hanc legem judicialem constituit: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*: quae quidem lex ad forum internum non refertur. S. Cyprianus in epist. 55 n. 10 ad Cornelium Pontificem data (apud Constant. col. 172) narrat, Carthaginem venisse *Privatum haereticum in Lambesitana ante multos fere annos ob multa et gravia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatum*, eumdemque, cum ibidem in Concilio vellet iterum causam agere, *admissum non fuisse*. Deinde refert de pseudoepiscopo Fortunato, et sociis Carthagine condemnatis. Haec ad annum 252 gesta sunt. Ex Canonibus Apostolorum, qui tertio aut forte quarto Ecclesiae saeculo editi sunt, Episcopus accusatus semel et iterum a Synodo vocandus est, antequam adversus eum sententia proferatur. Ita Eutychen, Dioscorum, atque alios semel, iterum, ac tertio vocatos fuisse constat ex actis Concilii Constantinopolitani, Chalcedonensis, aliorumque Conciliorum; et quod Ecclesiasticae lenitatis proprium est, Nestorius quarta etiam vice a Concilio Ephesino citatus est. Pro dignitate personarum certus numerus judicum postulabatur, quod Concilio I Carthaginiensi c. 11 cautum est. A sententia judicis inferioris ad superiorem judicem appellare licebat, quod ex vulgatis canonibus *de appellatione* manifestum

est. Denique non modo praesentes rei, sed etiam absentes et contumaces poenis mulctabantur. S. Cyrillus in ep. ad Clerum et populum Alexandrinum affirmat, Nestorium, qui vocatus ad Synodum non venerat, depositionis poena mulctatum fuisse. Similiter Dioscorus a Concilio Chalcedonensi absens damnatus est, postquam tertio inutiliter vocatus fuerat.

Cum itaque jam a prima Ecclesiae aetate habeamus accusatores, testes, citationes, judices designatos, sententiam, executionem sententiae, et appellationem, satis superque apparet, haec exterioris fori acta cum foro poenitentiali nihil omnino commune habuisse. Igitur Ecclesia pro causis criminalibus dijudicandis jugiter habuit externum forum criminale a foro poenitentiali distinctum prorsus ac separatum; et si quid a saeculo undecimo innovatum est, id omne ad formam et solemnitates judicii tantummodo spectat.

Vide Zallinger in Instit. Juris ecclesiastici ad lib. II Decretalium tit. 1 §. 22 et seqq., ubi argumenta omnia, quae contra opponi solent, diluuntur.

Multa quoque Baronius in annal. ad an. 57 num. 24 et seqq. de judiciali Ecclesiae potestate disputat.

§. 7.

DE POTESTATE PUNIENDI

Potestas *coercitiva* in plectendis delictis, pravisque moribus corrigendis versatur. Jam vero sine jure coercendi, nihil efficax est potestas condendi leges, et judi-

candi. Quid enim prodesset potestas jubendi vel vetandi, si ii, qui legibus parere detrectant, coerceri et puniri non possint? Quid juvat judicia exercere, si sententiam exequi non possis? *Sane si judex es,* ait S. Augustinus in serm. 164 de verbis Apostolorum cap. 5, *si judicandi potestatem accepisti ecclesiastica regula, si apud te accusatur, si veris documentis testibusque convincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada; sic vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina.* Hanc vero potestatem coercendi legum violatores, et criminum reos, sibi divinitus collatam fuisse Apostolus saepius denunciat. Namque in II ad Corinth. XIII v. 10: *Ideo,* inquit, *haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus* (non prorogatio fidelium, vel gratia Principis) *dedit mihi.* Itemque X. v. 6: *In promptu se habere,* ait, *ulcisci omnem inobedientiam ex potestate, quam dedit nobis Dominus.* Et II ad Thess. 3 v. 14: *Si quis,* ait, *non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo.*

Basnagius ex numero Protestantium annotat. polit. eccl. tom. 2 diss. 4 de Ecclesiae tribunali: *Tribunal*, inquit, *Ecclesiae, quod jubente Deo erectum fuisse .... facile largimur .... neque a Principum voluntate Ecclesiae tribunal, sed ab ipso Christo originem ducit praecipiente, ut haereticus pertinax abjiciatur, quae lex ignorante magistratu lata est. Sub imperatoribus sane ethnicis flagitiosos censuris Ecclesia suis vexabat, quam liquet id juris sibi proprium fuisse, nec a terrenis potestatibus communicatum .... annis pene tercentis dum Imperatores ethnici rerum potiebantur, Ecclesia absque magistratu disciplinam exercebat, ac haereticos, et flagitiosos a societate sua rejiciebat.*

§. 8.

DE POENIS ECCLESIASTICIS

Sicuti Ecclesia duplex forum obtinet, internum nimirum seu poenitentiale, atque externum, sic etiam diversis poenis in peccatores et reos animadvertit. Praecipuae autem sunt poenae *spirituales*, quae proprie *censurae* dicuntur, nempe excommunicatio, suspensio, et interdictum; eaeque *medicinales* sunt, videlicet ad correctionem et emendationem adhibitae. Praeterea Ecclesia poenis *vindicativis* utitur, quae ad punitionem seu vindictam criminis pertinent, quales sunt depositio, degradatio, suspensio perpetua, detrusio ad communionem laicam, aliaeque ejusdem generis. His addi possunt *corporales poenae*, quas ab antiquis usque temporibus Ecclesia adhibuit, veluti ictus fustium aut flagellorum, detrusio in Monasterium aut in carcerem, mulcta pecuniaria etc. De hoc poenarum genere haec habet Claudius Fleury in suis Inst. Jur. Eccl. part. 3 cap. 18: *Posterioris generis poenae, quae coactionem quamdam involvunt, pariter antiquis auctoritatibus nituntur. Nam ab omni tempore Ecclesia peccatoribus poenitentibus eleemosynas, jejunia, aliasque afflictationes corporis imperavit, impoenitentibus absolutionem denegavit, eosque, si diu haererent in vitio, neque ad poenitentiam vel satisfactionem proni essent, excommunicavit. Augustinus fustigationis per Episcopos exercitae, ad exemplum dominorum qui servos, parentum qui liberos, magistrorum qui discipulos castigarent, meminit. Ex quo inferre licet, Episcopos virgas expedi-*

visse in terga juniorum Clericorum. Abbates per modum paternae ac domesticae castigationis monachos virgis ceciderunt; unde FLAGELLATIONES VOLUNTARIAE *ortae videntur. Carceres ad tempus, vel perpetui in poenis canonicis numerantur, quia Presbyteri et ceteri Clerici ob crimina depositi claustris commendati sunt, ut reliquum temporis transigerent in poenitentia, memoriaque criminis simul ex vulgi oculis removeretur.*

Potestatem, quam Judices Ecclesiastici habent, corporales poenas infligendi agnovit confirmavitque Tridentina Synodus sess. 25 cap. 3 de reform. Siricius P. ep. 1 cap. 6 apud Coustantium, Monachos et Moniales, a quibus crimen in castitatem admissum fuerit, *in ergastulis includi jubet*; et Concilium Toletanum III cap. 6 apud Labbaeum tom. VII perpetuo etiam *damnationis ergastulo* retineri vult Presbyterum, qui causam sanguinis agitaverit. Clericos vero atrociorum quorumdam criminum reos, et legitime convictos Caelestinus III in cap. *cum ab homine* 10 de judiciis degradari jussit, seu Curiae saeculari puniendos tradi.

Qualis sit poenarum ecclesiasticarum vis atque natura magnopere disputatur. Sunt enim qui docent potestatem coercitivam divinitus Ecclesiae collatam poenis tantummodo spiritualibus contineri, non autem corporalibus sive temporalibus, adeoque jure suo posse christianos hortari, objurgare, movere gradu ecclesiastico, Sacramentorum usu arcere, atque etiam ab ecclesiastica communione penitus segregare; verum si haec omnia parum proficerent, gravioribusque remediis ad improbos in officio continendos opus esset, Ecclesiae quidem licere Principum

ac Magistratuum civilium implorare auctoritatem, qua improborum hominum contumacia frangatur, sed ipsam sibi infligendae poenae temporalis potestatem ullam arrogare non posse. Enimvero, ut ajunt, potestas omnis ecclesiastica spiritualis est; illudque usurpant S. Chrysostomi dictum in hom. 4 de verbis Isaiae: *Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animae; rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum: ille cogit, hic exhortatur: ille necessitate, hic libera voluntate: ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia.* Proferunt etiam caput 10 de judiciis, ubi Caelestinus III aperte fassus est, summum coercitionis genus, quo uti Ecclesia potest, excommunicationem esse, ac nihil praeterea habere, quod ultra faciat. *Si Clericus,* inquit, *in quocumque ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitime, atque convictus, ab ecclesiastico judice deponendus est. Quod si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri; postmodum vero, si in profundum malorum veniens, contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per saecularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima poena inferatur.*

Contra vero doctores alii omnino putant, nullum esse poenae genus, quo Ecclesia jure suo in sontes animadvertere non possit, quapropter bona temporalia, famam, jura tum munerum, tum successionum, vitam ipsam ecclesiasticae potestati subjiciunt; *neque enim esset,* inquit Joannes de Dicastillo tract. de cens. disp. 1, *satis Ecclesiae provisum, si careret potestate puniendi poena temporali*; et Pirrhing Jur. eccl. lib. 5 tit. 7 sect. 3 num. 92 potestatem etiam poena mortis haereticos afficiendi Ecclesiae tribuit, *quia alias,* ut subdit, *non potest rebelles inobedientes coercere, et eorum delicta vindicare, neque membra putrida, atque noxia toti corpori resecare, ut probat Bellarminus lib. 3 de Laicis cap. 21 et 22, non tamen Ec-*

clesia solet exercere, et exequi hanc potestatem per judices et ministros ecclesiasticos, sed laicos, et mediante eorum temporali potestate, quia id decentius est, et pietati Ecclesiae conformius.

Nimis longum esset pro gravitate rei de hac quaestione disserere. Veruntamen sententia prior magis Ecclesiae mansuetudini consentanea videtur. Sequimur proinde eorum judicium, qui corporalem gladium ab Ecclesia removent, quo vel corpus perimitur, aut sanguis funditur. Nicolaus pontifex Albino Archiepiscopo can. *inter haec* caus. 33 q. 2 ita scribit: *Ecclesia gladium non habet, nisi spiritualem, non occidit, sed vivificat.* Unde tritum illud sermone adagium: *Ecclesia abhorret a sanguine.* Sed mitiores poenas licet temporales, et corporis afflictivas, veluti detrusionem in Monasterium, carceres, verberationes, aliasque id genus citra sanguinis effusionem infligere jure suo Ecclesia potest, quod supra diximus.

At vero iis, qui ad verum imperium jus etiam vitae, necisque desiderant, respondet Zallwein tom. IV princ. jur. eccles. pag. 86 his verbis: *Dicant hi nobis quare potestas imperii necessario jure gladii, vitae, et necis debeat esse armata. Quid si Dominus Deus, qui solus est auctor vitae et necis, sibi soli jus gladii reservasset, de cetero autem imperium aliis mediis compulsoriis armasset, et in imperantes cetera omnia jura alias majestati adnexa transtulisset? Dicant nobis quare solum jus vitae et necis potestatem imperii constituat? Si dicant quod hoc solum sit medium, quo homines in suo officio contineri, et ipsa respublica contra injustos aggressores conservari valet et debet, replicamus, ne quidem hoc ipsum remedium esse sufficiens ad hominum malitiam coercendam. An non dantur homines facinorosi, fures, raptores, homicidae, qui ne quidem poenam mortis curant? Dein si id ad conservandum statum necessarium esse dicamus, omnes profecto respublicae minores cessabunt esse respublicae, quia necessario debent succumbere civitatibus majoribus praepotentia praevalentibus hoc ipso, quod efficacibus resistendi remediis destituantur. Suscipit ergo potestas imperii*

majus, et minus, nec consistit in indivisibili. Quare ergo ille non deberet habere potestatem imperii, qui habet jus ferendi leges, dictandi poenas, sola mortis poena excepta, ejiciendi, proscribendi e communitate, omnibusque juribus ad cives, et membra reipublicae pertinentibus privandi?

§. 9.

DE POTESTATIS ECCLESIASTICAE UT AJUNT INDEPENDENTIA

Reliquum est, ut probemus potestatem, quam Petro et Apostolis, eorumque successoribus Christus tradidit, ab omni potestatis civilis dominatione solutam, expeditam, et liberam, sive, ut scholae loquuntur, independentem esse. Cujus quidem veritatis tot sunt tantaque certissima argumenta, ut si persequi singula vellemus, longius quam ratio institutionum postulat, oratio nostra progrederetur. Priusquam vero aliquid eorum proferamus, quibus sententia catholica apertissime demonstratur, praestat animadvertere sacrarum rerum administrationem ad civile imperium non pertinere *ex natura rei*, sive *ex jure naturae*, tum quia instituta imperia non sunt propter religionem, tum quia jus naturae est lex, norma, et regula earum rerum, quae ad unum ordinem naturalem spectant. De quo consentiunt vel ipsi Protestantes; siquidem Hornius de Civit. lib. II cap. 5 inquit: *A sacrorum regimine ut actione publica privatum quidem arceri, nondum tamen patere rationem, quae illud Principi asserat.* Hugo Grotius in tractatu de Imperio Summarum potestatum in Sacra cap. 2 §. 3: *Ut idem,* ait, *sit Rex et*

Sacerdos non est ex eo genere naturalium, quae aliter se habere non possunt. Idem sentit Boehmerus in Introductione ad Jus publicum lib. II cap. 5 §. 2, Besoldus in politicis lib. II cap. 3 §. 3 n. 14 et 19, aliique plures.

Igitur oleum et operam perdunt, qui rationibus ex naturali jure petitis probaturos se autumant, administrationem rerum sacrarum sub imperio laicorum Principum esse. Si veritatem invenire desiderant, in jure divino eam quaerere debent, quandoquidem ecclesiasticae gubernationis ratio, quae ab una voluntate Dei pendebat, non aliter nobis cognita perspectaque esse potest, nisi ex tabulis divinae fundationis Ecclesiae, ex Sacra nempe Scriptura, et Traditione. Praeclare S. Thomas p. 1 q. 101 art. 1: *In his quae sunt supra naturam soli auctoritati creditur, et quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum naturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus revelata sunt.*

Sed jam ad propositum veniamus. Bellarminus lib. I. de Rom. Pontifice cap. 7 ita recte argumentatur: *Regimen Ecclesiae supernaturale est, nemini igitur convenit, nisi cui Deus commisit. Legimus autem in Scripturis commissum Apostolis, et Episcopis eorum successoribus. Nam de Petro Apostolo dictum est: pasce oves meas, Joan. ult., et de Episcopis dicitur act.* 20, *quos posuit Deus Episcopos regere Ecclesiam Dei. De Regibus nihil hujusmodi unquam legimus.* Et eodem loco ex verbis Apostoli 1 ad Corinth. 12, et ad Ephes. 4: *Deus in Ecclesia posuit primum Apostolos, deinde prophetas, tum*

pastores, et doctores; sic ratiocinatur: *Si primi sunt Apostoli, qui Episcopi fuerunt, et quibus Episcopi succedunt, certe primi non sunt reges, et Principes saeculi; imo ut recte annotavit Damascenus in secunda oratione pro imaginibus, Apostolus reges non solum non posuit primo loco, sed nec ullo alio, ut indicaret non esse reges Ecclesiae magistratus, sed tantum saeculi.*

Et Joannes Georgius de Eckart in dissertatione de Jure Principis Catholici circa sacra subditorum suorum protestantium, quae est in Thesauro Juris ecclesiastici tom. IV: *De iis,* inquit, *quae Dei sunt, homines aliter disponere non possunt, quam si Deus talem iis facultatem concedat. Causae tamen, resque fidei ac religionis vel maxime Dei sunt; disponi ergo, decerni, et de iis judicari ab aliis non potest, quam quibus eam potestatem Deus concessit; Deus vero talem potestatem certis dumtaxat hominibus, non Principibus, et non passim toti populo christiano concessit. Nam Deus alios constituit Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, et Doctores in aedificationem mystici corporis sui, quod est Ecclesia; alios vero constituit velut oves, et agnos, qui per Pastores, et Doctores suos pascerentur, et ad quos attenderent pastores, ne circumferrentur omni vento doctrinae per astutiam hominum. Pastores autem soli disponunt, soli judicant, soli discernunt quid ovibus accommodum sit, quid non sit; oves enim aequali cum pastoribus potestate donatas contendere, quid aliud est, quam discrimen a Christo pastores inter et oves positum tollere, ac quae ille distinxit commiscere ac confundere? Principes igitur*

et magistratus si tamquam oves in Christi grege habentur, sicuti vere sunt oves, una cum pastoribus non judicant, non decretorie circa spiritualia disponunt; Christus enim sicuti antiquam regum potestatem jure sic dicto gentium concessam non sustulit, aut imminuit, ita neque eis novam, et spiritualem oves suas pascendi potestatem annexuit. Nil quoque aliud nova in lege de Principum potestate revelatum est, quam ut dentur Caesari quae sunt Caesaris, ut tributa solvantur, ut pro regibus oretur, ut tam regi, quam omnibus ab eo delegatis obtemperetur, ac denique ut omnis potestas a Deo promanare, et quilibet magistratus non frustra gladium portare, sed in ea re minister Dei esse cognoscatur. Jam ubi reges nominatim jubentur de Christi Ecclesia disponere, vel in causis fidei, et rebus religionis quidquam sibi jurisdictionis arrogare? Nec erant ulli reges christiani ab initio, quibus ullam potestatem Christus commiserit; imo per annos propemodum tercentos fuit administrata Ecclesia, et quidem quam feliciter, quam prospere, insignia, quae tot inter tantasque difficultates fecit, docent incrementa. Attamen penes Imperatores, penes reges, penes Principes, penes civilem magistratum potestas haec esse non potuit, eo quod quicumque fere illis temporibus respublicas gessere, pagani et conjuratissimi christiani nominis hostes extiterint. Externum regimen totum sub id tempus erat pastorum, non regum. Innumera non localia solum Concilia, sed et nationalia in causa Baptismi, Paschatis, Montani coegere Praesules, non reges; dispensationes homicidis, et moechis concessere Pontifices,

non reges; sacro anathematis fulmine percussi sunt Heterodoxi a Praesulibus, non a Principibus. Electi sunt, depositi sunt Episcopi cum Paulo Samosateno, et aliis; sed a quibus? A pastoribus, non regibus. Rem paucis: externum regimen totum illa tempestate erat Pontificum non regum; Praesulum erat, Pastorum erat, non Principum.

Neque postquam animum christianam ad religionem adjecerunt Principes, Christique legem complexi sunt, pristinum jus est Episcopis abrogatum; posteriores namque sub Constantino Episcopi successerunt in vicem et eadem jura Apostolorum, sacra dirigebant ea dignitate ac potestate, quae a Christo, et ab Apostolis in ipsos ut Christi Vicarios et Apostolorum successores propagata erat; num autem Episcopi a tempore Constantini desiere Apostolorum esse successores? Num regni coelorum claves asservare desierunt? An saltem tot annorum, tot saeculorum praescriptio contemni potest? An christianis Principibus competit potestatem, jura, et libertatem Ecclesiae arctius premere, quam esset a Principibus ethnicis factum? Aut an plane traducem potestatis hujus Apostolicae in Episcopis abrupere, aut abrumpere potuere Constantinus, ejusdemque successores Imperatores christiani? Imo vero Sacerdotum, et Episcoporum reveriti potius sunt auctoritatem, eorum vocem audiverunt, sententias secuti sunt, sacrasque leges receperunt. Constantinus M. christianorum Imperatorum princeps, teste Eusebio lib. 3 *de vita Constantini cap.* 10 *in Concilio Nicaeno non prius assedit, quam Episcopi, ut sederet, annuissent: finito dein Con-*

cilio scripsit epistolam ad Alexandrinam Ecclesiam apud Socratem lib. 1 *cap.* 9: *Nam quod, ait, tercentis placuit Episcopis, nihil aliud existimandum est, quam Dei sententia, praesertim cum in tantorum virorum mentibus insidens Spiritus Sanctus, divinam voluntatem aperuit. Judicium porro de Episcopis instituere idem Constantinus exhorruit, teste Ruffino lib.* 1 *Hist. cap.* 2 *ibi: Vos a Deo nobis dati estis Dii, et conveniens non est, ut homo judicet Deos; sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum; in medio autem Deus judicat. Praeclarissimis hisce Imperatoris Constantini vestigiis institere magni nominis Caesares, Valentinianus senior, Theodosius junior, Marcianus;* Theodo*ricus ipse, ariana licet lue afflatus, in quarta Synodo Romana sub Papa Symmacho habita, sibi judicium in Episcopos non arrogavit; sed postquam a plurimis Episcopis audiisset, Papam Symmachum ob praerogativam suae Sedis non posse compelli, ut minorum judicio se submitteret, reposuit in Synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda praescribere, nec aliquid ad se praeter reverentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere. Posteriora quod attinet tempora, a christianis et orthodoxis Imperatoribus, Regibus, et Principibus, verum Ecclesiae regimen circa spiritualia, sacra jurisdictio, verumque jus in substantia, et legitimum spiritualis imperii exercitium Pontificibus et Episcopis nunquam extitit controversum, imo vero passim agnitum; atque cum hujus rei luculentissima testimonia et exempla ex legibus tam civilibus et publicis, quam sacris ex Canonibus, ex historiis pro-*

fanis et ecclesiasticis suppetant, prostentque obvia, superfluum est prolixioribus allegationibus immorari.

Ex his omnibus perspicuum est, civile imperium nulla administrandae Ecclesiae potestate praeditum esse, adeoque reges, ut ait Damascenus in orat. 1 de Imaginib., *his de rebus* (Ecclesiae nempe) *nihil posse statuere, atque decernere*, omnemque ecclesiasticam potestatem a civili imperio penitus distinctam, eique minime obnoxiam, ad solos Ecclesiae Antistites divinitus pertinere. Christus ipse Matth. 22 21, Marci 12 17, Lucae 20 25 hanc legem fundamentalem edixit: *Reddite quae sunt Caesaris, Cesari, et quae sunt Dei Deo*, secundum quam relicta summis Principibus integra rerum profanarum cura et administratione, ea quae ad religionem et salutem animarum spectant, ad Ecclesiae principatum revocavit. Merito itaque ac jure Gelasius in epistola ad Anastasium Imperatorem: *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, sacerdotalis auctoritas, et regalis potestas. Utraque principalis, suprema utraque, neque in officio suo alteri obnoxia est.* Et Osius Episcopus Cordubensis ad Constantium Imperatorem: *Desine, quaeso, et memineris, te mortalem esse, reformida diem judicii, serva te in illum diem purum, nec te immisceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quae sunt Ecclesiae concredidit; et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae, ita et tu cave, quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scri-*

ptum est, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum, et sacrorum potestatem habes Imperator.

Ad rem nostram Joannes Nepomucenus Endres in dissertatione canonica „ *De necessario Jurisprudentiae naturalis cum ecclesiastica nexu* „ cap. III §. 1 ait: *Ecclesiam a Christo institutam esse tamquam perfectam quamdam rempublicam sacram a civili distinctam, suis uti legibus, ita et Magistratibus quoque ac subditis, imperantibus nimirum atque parentibus instructam, quae propterea reipublicae cujusdam catholicae et universalis, sed sacrae speciem prae se ferat. Licet enim Ecclesia territorium distinctum non habeat, sed potius in regnis et territoriis, salvis regum et summorum magistratuum juribus, subsistat, constat tamen ex Sacra Scriptura, et continua Traditione, veluti bino polari Religionis revelatae indice, existere in eadem summum quoddam Imperium circa ea, quae ad Religionem et salutem aeternam fidelium pertinent, divina auctoritate per omnes sui partes, potestatem videlicet legislatoriam, judiciariam et coercitivam, constitutum, atque a Christo communicatum, a nullo alio dependens, quod per varios magistratus sibi invicem hierarchice subordinatos exercetur.*

Vide Jac. Antonii Zallinger *Institut. Juris ecclesiastici publici et privati* cap. XI, Dissertationem de *Censura Principii de variis Potestantium hypothesibus in re tanti momenti,* quae dissertatio reperitur in thesauro Juris ecclesiastici tom. III, et Gregorii Zallwein *Principia Juris ecclesiastici* tom. IV q. 1 cap. 3 et 4.

CONCLUSIO

Quibus omnibus positis, unius argumenti conclusione tota haec causa comprehenditur. Conclusio autem sic est.

Status, sive societas inaequalis est conjunctio plurium hominum, quae imperio per homines administrato, sibi proprio, et aliunde non dependente continetur. Haec definitio ab ipsis Protestantibus sumpta est, quod hujus libri initio diximus. Atqui Ecclesia est conjunctio plurium hominum, quae imperio per Apostolos, eorumque successores administrato, sibi proprio, et aliunde non dependente continetur, quemadmodum toto hoc libro demonstratum est. Ergo Ecclesia est Status, sive societas inaequalis.

Canisius Ecclesiam definivit, *cunctorum Christi fidelium visibilem congregationem, quae sub uno capite suo Christo, unoque vices ejus in terris gerente Pontifice Maximo regitur, ac in unitate conservatur.* Bellarminus vero ita definivit: *Ecclesia est coetus hominum ejusdem christianae fidei professione, et eorumdem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, et praecipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis.* In utraque definitione Ecclesia dicitur *fidelium congregatio*, vel *coetus hominum*, quae verba sunt loco generis; quod enim Ecclesia hominum consociatio sit, id cum aliis hominum societatibus commune habet: reliqua autem verba tenent locum differentiae, quia omne illud explicant, in quo Ecclesia ab aliis societatibus distinguitur.

Nonnulli Canonistae his, vel aliis idem significantibus verbis Ecclesiam definiunt; *Coetus hominum christianam Religionem colentium sub legitimis Pastoribus*, nulla de Summo Pontifice mentione facta. Ajunt enim primatum Pontificis ad determinandam ecclesiastici regiminis formam, minime vero ad naturam Ecclesiae constituendam pertinere. Verum animadvertendum est nullam sine aliqua regiminis forma Societatem consistere, et ex varia regiminis forma Societates ipsas differre inter se,

ita ut alicujus Societatis natura intelligi plane nequeat, nisi ejus regiminis forma simul cognita perspectaque habeatur. Itaque ea definitio: *coetus hominum christianam Religionem colentium sub legitimis Pastoribus*, ad Ecclesias particulares, quae a suis Episcopis reguntur, fortasse poterit accommodari: sed Ecclesiae Catholicae universae, quae ita a Christo instituta est, ut non modo ab Episcopis, sed potissimum a Summo Pontifice, uno Capite, et unitatis centro regeretur, naturam minime explicat. Igitur mutila et manca est. Similem Ecclesiae definitionem praeter ceteros proponit Febronius, qui a Mamachio refellitur epistola 2 ad Febronium §. 2 et 3.

§. 10.

DE ARGUMENTIS PROTESTANTIUM
I. EX SACRIS LITTERIS

Ecclesiam esse ex eo genere societatum, quas *inaequales* Scholae appellant, ubi nempe alii sunt qui *imperium*, et illud quidem *summum* atque *independens* exercent, et alii quorum omnis gloria in obediendo sita est, Protestantes omnino pernegant, et hanc veritatem catholicam magno impetu adoriuntur. Multa quidem pro suo quisque ingenio in medium protulerunt, quae referre omnia, neque operae pretium est, neque nostri instituti ratio patitur. Id vero egregie docteque praestitit P. Ignatius Schwarz Instit. Juris publ. univer. part. 1 tit. 3 instruct. 2 et 3. Tria tamen praecipua sunt eorum argumenta, quibus putant catholicam doctrinam evertere se posse, quorum unum ex Sacris Litteris, alterum ex natura Religionis, tertium ex indole Rerumpublicarum de-

sumunt; quae argumenta Justus Henningius Boehmerus in Instit. Jur. Ecclesiast. ad methodum Decretalium lib. I tit. 1 §. 5 his verbis complexus est: *Sicut alia Collegia in civitatibus societates aequales sunt, ita etiam Ecclesia tum ex mente Salvatoris et praxi Apostolorum, tum ex natura Religionis imperium respuentis, tum ex Rerumpublicarum indole, quae non admittunt Statum in Statu.*

Quod ad primum argumentum attinet, Protestantes pernegant, vestigium ullum potestatis imperiique ecclesiastici in libris novi Testamenti reperiri; imo vero constare ex iisdem libris affirmant, Christum vetuisse Ministros Ecclesiae quidquam exercere imperii et potestatis. Tota isthaec controversia in verborum interpretatione versatur; namque ea Sacrarum Litterarum loca, quibus nos ad probandam Ecclesiae potestatem utimur, Protestantes interpretationibus arbitrariis et commentitiis in alienum sensum detorquent. Qua super re si de singulis Sacrarum Litterarum locis, deque eorum vera rectaque interpretatione disserere aggrederemur, nimis oratio nostra praeter instituti nostri rationem in longius duceretur; id vero doctissimi Theologi et Canonistae plena manu praestiterunt.

Sed Boehmerus *ad praxim Apostolorum* provocat, idque non immerito, propterea quod minime dubitandum est, quin Apostoli omnium Christi verborum sensum penitus cognitum, planeque exploratum habuerint. Itaque Apostolorum dicta, factaque inspiciamus. Jam vero si acta Apostolorum eorumque epistolas legimus, ecce tibi

Paulus (act. XV 41), *qui perambulat Syriam et Ciliciam confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et Seniorum:* Et iterum (act. XVI 4) ipse et Timotheus, *cum pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis, et Senioribus, qui erant Hierosolymis*: Et idem Paulus I ad Thessalonicen. IV v 2: *Scitis quae praecepta dederim vobis*: Et II ad eosdem III v. 14: *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate*: Et tandem, ut alia omittam, II ad Corinth. XIII v. 10: *Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi.*

Hanc vero potestatem divinitus sibi traditam non solum scriptis, verum etiam factis Apostoli confirmarunt. Namque Concilia celebrarunt, de fide et moribus decreta ediderunt, leges disciplinae tulerunt, latasque abrogarunt, Pastores et Ministros in diversis Hierarchiae gradibus instituerunt, in reos et contumaces animadverterunt.

Quae quidem omnia adeo certa, aperta, et manifesta sunt, ut Moshemius non ignobilis inter Theologos Protestantes in *Institutionibus Historiae Christianae Majoribus* non sit ausus negare, in Sacris Litteris commemorari potestatem, quam Christus Apostolis dedit, quamque ipsi exercuerunt; veruntamen addidit, eam potestatem in Ecclesiae primordiis necessariam, vita functis Apostolis, extinctam esse. Sed nullum argumentum affert, cur id affirmet; eaque opinio manifeste contraria est Sacris Litteris, et rationi. Et primo quidem Sacris Litteris cum Christus ipse significaverit, potestatem Apostolis traditam

perpetuo duraturam esse. Nam Apostolos ad gentes missurus, postquam (Matth. XXVIII 18 20) magnificis iis verbis dicere exorsus est: *Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Euntes ergo* etc.; statim subjecit; *Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Praeterea Sacrae Litterae jubent, non modo Apostolis, verum etiam suis Praepositis unumquemque obedire et subjectum esse, ex quo perspicuum est, Ecclesiae Praepositis potestatem esse imperandi. Ita Paulus ad Hebr. XIII 17: *Obedite,* inquit, *Praepositis vestris, et subjacete eis:* Et act. XX 28: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, hoc est, moderari et gubernare. Denique ratio ipsa opinionem Moshemii coarguit et refellit. Si enim Apostolorum aetate necessaria erat potestas, qua Ecclesia regeretur, ea vel maxime necessaria fuit sublatis Apostolis, quia par est utriusque temporis ratio, ne scilicet Ecclesia sine certa gubernatione et imperio relinqueretur; ex quo maxima rerum confusio orta esset, nec diu stare potuisset.

§. 11.

II. EX NATURA RELIGIONIS

Secundo loco Protestantes objiciunt, eam esse indolem Religionis, ut imperium omnino respuat, et nemini in negotio Religionis vim ullam inferendam esse. Verum in hoc argumento nomen Religionis ambigue positum est, et duas res significare potest, scilicet Religionem vel su-

sceptam, vel suscipiendam. Itaque illi, qui Religionem veram nondum susceperunt, probe distinguendi ab iis sunt, qui jam Religioni et Ecclesiae nomen dederunt. *Religio*, ut ajunt, *naturali libertate gaudet*, non ea tamen, ut de Deo rebusque divinis quidquid libuerit sentire liceat; imo vero homines ad veram Religionem investigandam et amplectendam naturali divinoque jure tenentur. Sed Religio libera dicitur, quatenus ad eam suscipiendam nemo invitus compelli debet, nec vero potest: neque enim Catholici coactivam vim Ecclesiae tribuunt in eos, qui foris sunt. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare*, inquiebat S. Paulus I ad Corinth. 5; et Concilium Tridentinum sess. 14 cap. 2 declarat, *Ecclesiam in neminem judicium exercere, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus.* At vero adversus eos, qui jam in Ecclesiam cooptati sunt, vis et imperium adhiberi potest ad eos in officio continendos.

Igitur si Religionis vocabulum sic accipiatur, ut eos respiciat, qui fidem nondum susceperunt, fatendum est, neminem vi et coactione ad Ecclesiam ducendum esse, sed verbi praedicatione et persuasione, sive, ut ait S. Bernardus serm. 66 in Cantic., *fidem suadendam, non imperandam.* Veruntamen in eos, qui per Baptismum ad societatem ecclesiasticam pertinent, Ecclesia jure suo potestatem exercet ad conservandam unitatem, pietatem, ordinem, honestatem, ad malos cohibendos castigandosque.

S. Thomas 2 2 q. 10 art. 1: *Infidelium quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut gentiles et judaei, et tales*

nullo modo sunt ad fidem compellendi ut ipsi credant, quia credere voluntatis est. Sunt tamen compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent, non quidem ut eos ad credendum cogant, quia si etiam eos vicissent, et captivos haberent, in eorum libertate relinquerent an credere vellent; sed propter hoc, ut eos compellant ne fidem Christi impediant.

Alii vero sunt infideles, qui quandoque fidem susceperunt, sicut haeretici, et quicumque apostatae; et tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, et teneant quod semel susceperunt.

Et ibidem ad 3: *Sicut vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis; ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis: et ideo haeretici sunt compellendi, ut fidem teneant.*

Vide Suarezium *de Fide sess.* 3 *disp.* 20, Bellarminum *de laicis lib.* 3 *cap.* 21 *et* 22, De Castro *de justa haereticorum punitione*, et Natalem Alexandrum *diss.* 3 *in canonem* 3. *Concilii Lateranensis IV hist. eccles. saec. XIII et XIV.*

§. 12.

III. EX INDOLE RERUMPUBLICARUM

Tertio denique opponunt, potestatem civilis Imperii ex omnium gentium consensu *summam* esse: ex quo illud inferunt, quod potestas Ecclesiae nec sit, nec summa esse possit, ideo quod duo in eadem civitate Imperia summa, quemadmodum in eodem corpore duo capita, omnino repugnant. Addunt, maximam rerum confusionem oritu-

ram, si Status veluti in Statu constituatur, et duabus inter se dissitis potestatibus iidem cives subjiciantur.

At vero respondemus, in uno eodemque genere duas *summas* potestates esse non posse, in alio atque alio genere plane posse. Igitur non repugnat, duos Status sive duo Imperia summa in eadem civitate esse, si utraque potestas diversi ordinis sit, neque ad unum eumdemque finem contendat, et objecto, et mediis plane diversis distinctisque concludatur. Jam vero Ecclesia, et civilis Respublica fine, objecto, et mediis distinctae sunt; altera enim vitae hujus tranquillitatem spectat, altera felicitatem hominum sempiternam; altera civilibus rebus praeest, altera religiosis; utraque proinde potestate sua propria, suoque in genere summa potitur. Quamobrem Respublica civilis, et ecclesiastica non Status in Statu, sed Status in civitate una duo sunt, et diversi omnino generis atque naturae, adeoque omnis pugna tollitur atque rerum confusio ex finis objectique diversitate. Imo vero mirifica inter utramque potestatem concordia esse potest, et praesertim ab ecclesiastica potestate maximum praesidium potestati civili comparatur, cum nihil Religione fortius sit ad cives in officio continendos.

Wolfius, quem Protestantes Philosophiae naturalis principem post Leibnitium nominant et existimant, haec ingenue fatetur part. 8 jur. natur. §. 955: *Qui absurdum putant jus circa sacra separatum ab imperio civili, quasi respublica in republica fingatur, judicium omnino praecipitant, nec absurditatem demonstrare valent. Sane in Republica Hebraeorum jus circa sacra erat penes Pontificem maximum, imperium civile penes Regem,*

et uterque jus suum habebat pleno jure, ac independenter ab alio: ecquis vero dixerit hoc institutum fuisse absurdum, ètiamsi seponas, quod fuerit divinum?

Vide Zallwein *tom.* 3 *quaest.* **11** *cap.* 5 §. **10.**



LIBER II.

DE RECTORIBUS ECCLESIAE

EORUMQUE JURIBUS ET OFFICIIS

Alterum Institutionum Juris publici ecclesiastici librum scribendum sumimus, ubi de Romano Pontifice, qui in B. Petri Apostolorum Principis locum, atque de Episcopis, qui in locum Apostolorum succedunt, deque eorum juribus et officiis disseremus. Sed ante eorum opinio refellenda est, qui tradunt ecclesiasticam potestatem omnem non Petro et Apostolis, tamquam certis designatisque personis, sed toti Ecclesiae fuisse traditam.

CAPUT I.

DE ROMANO PONTIFICE EJUSQUE ADJUTORIBUS

§. 13.

DE ERRORIBUS RICHERII

Edmundus Richerius in lib. de eccl. et polit. potestate sic tradit: *Deum et naturam prius atque immediatius ad totum suppositum, quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam, intendere, eamque ob causam facultatem videndi e. g. datam esse homini, ut per ocu-*

lum, tamquam organum et ministrum hominis exerceretur. Nam oculus per et propter hominem existit. Inde concludit, 1.° *Christum fundando Ecclesiam prius et immediatius claves, seu jurisdictionem toti dedisse Ecclesiae, quam Petro: 2.° Papam et Episcopos nonnisi ministros esse, ut jurisdictionem illam exerceant nomine et consensu totius corporis.* Richerii errorem amplexati sunt Jansenistae; sic inter damnatas Quesnellii propositiones nonagesima haec est: *Ecclesia potestatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem praesumpto ipsius corporis.* Hi omnes antesignanum habent Lutherum lib. de Captiv. Babyl., in quo affirmavit neque Pontifici, neque Episcopis ullam, nisi ex fidelium consensu, potestatem esse. Itaque Ecclesiae regimen democraticum effingunt, ubi tota potestas est penes multitudinem, a qua Pastoribus ceu ministris communicatur, ut ipsius nomine et consensu exerceatur.

Nonnulli scriptores catholici docuerunt, claves ecclesiasticae potestatis a Christo immediate traditas Ecclesiae fuisse. Sed horum sententia a Richerii erroribus omnino discrepat. Richerius Ecclesiae nomine totam multitudinem fidelium intelligit, illi Pontificem tantum et Episcopos. *Potestas clavium,* inquit Habert de Hierarch. Eccl. cap. 5 §. 5 q. 2, *data est Ecclesiae, hoc est, Pontifici et Episcopis, et his quidem cum subordinatione ad Pontificem Petri Successorem.*

Doctrina Edmundi Richerii non solum ecclesiasticae, sed etiam civili potestati infensissima est, ita ut post editum ejus libellum, fere omnes utriusque potestatis hostes Richerium du-

cem sequuti sint; quod observat Joan. Baptista Faure *initio dissertationis adversus Richeristas* in tom. 12 Thesauri Theol. F. A. Zachariae.

Si Richerius affirmasset, potestatem ecclesiasticam Apostolis eorumque Successoribus, non ipsorum gratia, sed primo et principaliter ob totius Ecclesiae utilitatem et commodum a Christo collatam fuisse, quemadmodum non corpus propter caput, sed caput in bonum corporis constituitur, nemo omnium Catholicorum contradixisset. Sed vehementer erravit, dum docuit, potestatem ecclesiasticam non modo in bonum Ecclesiae, sed etiam eidem corpori Ecclesiae datam esse, in eaque uti primo et immediato Subjecto residere, a quo Pontifici et Episcopis, veluti christianae plebis ministris et instrumentis, communicetur. Itaque ejus libellum de ecclesiastica et politica potestate Synodus provincialis Senonensis jure meritoque damnavit, quod *multas contineret propositiones, expositiones, et allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, et, ut sonant, haereticas.* Simili censura a Concilio provinciali Aquensi notatus est, ut scilicet continens *propositiones, allegationes, et doctrinas falsas, scandalosas, schismaticas, haereticas, et impietatem gravemque errorem sapientes.* Facultas ipsa Sorbonica Richerium ob eam causam de gradu Syndici theologicae Facultatis dejecit, quod narrat Spondanus ad ann. 1612 his verbis: *Idemque Richerius auctoritate regia, et decreto Facultatis depositus est a Syndicatu ejusdem Facultatis, quem gerebat. Fuerunt etiam multi, qui contra eumdem libellum scripserunt; plenissime confutavit Andreas Duval-*

lius insignis Doctor Sorbonicus, et Regius Theologiae Professor in Universitate Parisiensi Primarius. Idem praestitit etiam Veith in opere, quod inscribitur - *Richerii systema confutatum* -. His condemnationibus Concilium Constantiense jam praeiverat, hanc Wicleffi propositionem ordine 37 condemnando: *Nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi.* Haec siquidem est ipsissima Richeristarum sententia. Sed demum Richerius ipse declarationibus editis errorem cognovit et reprobavit, seque doctrinam suam, seu potius haeresim, ex putridis Lutheri et Calvini fontibus hausisse professus est: quamquam an in sua retractatione constans, an varius fuerit, nihil facit ad rem praesentem, in qua non de sincera et constanti emendatione Richerii, sed de ipsius doctrina disputamus.

Sed jam doctrina catholica exponenda est. Igitur affirmamus, omnem potestatem ecclesiasticam S. Petro et Apostolis, iisque solis divinitus tributam fuisse, ideoque duos hujus potestatis gradus divino jure constitutos agnoscimus, quorum primum tenet Summus Pontifex, et alterum Episcopi: Summus quidem Pontifex tamquam S. Petri Successor, Episcopi vero tamquam Successores Apostolorum. De quibus seorsim distincteque tractandum est.

Quidam opinantur Parochos a Christo institutos fuisse, eorumque divinam originem repetunt a septuaginta duobus Discipulis, quos ipse Christus elegit, et idcirco praeter Pontificem et Episcopos tertium constituunt in Hierarchia jurisdictionis gradum, in quo Parochos locandos esse jure divino existimant. Verum haec opinio de divina Parochorum institutione a cele-

berrimis Theologis et Canonistis jamdiu profligata est. Parochi quidem institutionis divinae sunt, quod ad characterem ordinis attinet, propterea quod in ordinis Hierarchia divinitus constituta, praeter Episcopos, Sacerdotes etiam et Ministri positi sunt. At nullum in Scriptura aut in Traditione testimonium reperitur, quo demonstrari possit, Parochos a Christo institutos fuisse. Hinc S. Thomas 2 2 q. 188 art. 4 ad 5 ait: *Dicendum, quod formam septuaginta duorum Discipulorum non solum tenent Presbyteri Curati, sed quicumque alii minoris ordinis, qui Episcopis in eorum officio subserviunt. Non enim legitur, quod septuaginta duobus Discipulis Dominus aliquas determinatas Parochias assignaret, sed quod mittebat eos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus.*

De hoc argumento late disserit cl. Joannes Devoti Institut. Canonic. lib. I tit. 3 sect. 10 §. 87, itemque Petrus Paludanus *de caus. immed. Eccles. potest.* art. 2 conclus. 3.

§. 14.

DE ROMANO PONTIFICE S. PETRI SUCCESSORE

Primatus est ad pascendam regendamque Ecclesiam institutus. Quod autem totius communitatis bonum et regimen spectat, id sane oportet in eadem communitate fixum et perpetuum esse. Ergo moriente Petro, Primatus extingui non debuit, sed omnino manere atque perseverare, utpote qui non in commodum ipsius Petri, sed propter unam atque perpetuo mansuram Ecclesiam constitutus est. Ex quo fit, ut perpetuitas Primatus, non secus atque ipsius institutio, ab jure divino proficiscatur. Sed Primatus perpetuitas Successorem, in quem transeat, omnino postulat; atque adeo ex ipso jure divino et Christi

institutione aliquis sit oportet, qui mortuo Petro in Ecclesiae Primatum succedat. Succedit autem Romanus Pontifex; quod multis argumentis comprobatur.

1.° Quidem ratione successionis. Successor enim et heres spiritualis potestatis semper in Ecclesia habitus est, qui in eam Sedem conscendit, quam alter aut morte, aut abdicatione spontanea vel coacta vacuam reliquerit. At Petrus Antiochenam Sedem deserens, secumque Primatum gerens, ad Romanam Sedem se transtulit, in eaque supremum diem obiit, et Ecclesiae Primatum deposuit. Unus ergo Romanus Pontifex, qui in Cathedram S. Petri succedit, legitimus heres est ac Petri Successor, atque adeo in Romanum Pontificem jus omne Primatus transmigravit. Petrum autem advenisse Romam, ibique et Sedem collocasse, et ad obitum usque tenuisse, testis est ipse Petrus, qui epist. 1 cap. ult. v. 13 ita scribit; *Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta.* Neque enim Babylonis nomine Babylonem Chaldaeorum intelligere voluit, quae ante eam epistolam exaratam eversa fuerat, neque Babylonem Aegypti, quae obscurus plane locus tunc erat, nec urbis nomine dignus, sed Romam significare voluit, quae etiam in Apocal. cap. XVII v. 5 Babylon appellatur. Id sane docet Papias Apostolorum Discipulus; id S. Hieronymus de Viris illustribus cap. 8: *Petrus,* inquiens, *in epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significat;* id Beda in eamdem epistolam cap. 5 dum ait: *Babylonem typice Romam dicit, videlicet propter confusionem multiplicis idolatriae;* id denique Interpretes plerique omnes; qua de re confer

Calmetum in dissertatione *De itinere Romano S. Petri*, et Fogginium in opere *De Romano Divi Petri itinere*, *exerc.* 10. Quae quidem veritas tot tantisque luculentis veterum Patrum ac scriptorum monumentis evincitur, ut ob consensum scriptorum ne ipsi quidem Protestantes, saltem doctiores, eam rem in dubium revocaverint. Atque adeo Pearsonius inter juniores heterodoxos clarissimus diss. I de successione primorum Romae Episcoporum cap. 6 et 7 demonstrat, *nunquam non habitum pro certo, Romanam Sedem a Petro institutam, et Romanos Pontifices Petri Successores esse, ita ut de Petri in Urbem adventu et obitu ambigi non possit, quin omnia humanae fidei et auctoritatis fundamenta convellantur.*

2.° Ex consensu totius Ecclesiae: omnes enim Episcopi per orbem dispersi, et universa Christi Ecclesia omni tempore professa est, Romanos Episcopos legitime electos, Successores S. Petri habendos esse; ipsique Romani Pontifices potestate Primatus, ejusque juribus et praerogativis, cum supra fideles, tum supra Episcopos ipsosque Patriarchas, contradicente nemine, usi sunt. Nicolaus I in epistola ad Michaelem Orientis Imperatorem octo Patriarchas Constantinopolitanos recenset, qui a Romanis Pontificibus Patriarchatu exauctorati fuerunt. Mittimus testimonia Patrum, quos magno numero tum graecos, tum latinos in medium profert Bellarminus de Rom. Pont. cap. XV et XVI.

3.° Denique ex Conciliorum auctoritate. Concilium Oecumenicum VII epistolam Adriani ad Tarasium approbat, in qua haec habentur de Ecclesia Romana: *Cujus Sedes*

per totum terrarum orbem Primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Caput existit. Concilia Lateranense III, et Lugdunense I Sedem Petri matrem et magistram universalis Ecclesiae, Romanum Pontificem Christi Vicarium, Successorem Petri, et Rectorem universae Ecclesiae appellarunt. Verum ad rem nostram satis superque sit dogmatica Concilii Florentini definitio, quam graeci et latini Patres his verbis proposuerunt: *Definimus S. Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et Christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur.*

Confer Petrum Ballerinium *De vi et ratione Primatus Romanorum Pontificum*, Ennodium Faventinum *De Romani Pontificis Primatu*, et Auctorem Operis, quod inscribitur « *Quis est Petrus? Sive qualis Petri Primatus* » Ratisbonae 1791.

§. 15.

DE FINE PRIMATUS

Cum de fine Primatus quaeritur, non ea quaestio instituitur, cur Petro potius, quam alteri cuidam Apostolorum Primatus concessus sit? Ejus quidem concessionis causam SS. Patres adscribunt vel ordini vocationis, quia

Petrus omnium primus rebus omnibus se abdicavit; vel eximiae ejus fidei, quia primus in Christo divinitatem agnovit et confessus est; vel ferventi amori, quia Christum plus ceteris diligebat. Sed quaestio proposita est; quid fuit causae, cur Primatum Christus instituerit? Jam vero Primatum a Christo institutum esse, ut catholicae Ecclesiae unitas formaretur, sartaque tecta custodiretur, ex perpetua et luculenta SS. Patrum traditione certum est. Irenaei, Hieronymi, Leonis Magni, aliorumque Patrum testimonia longum esset referre, eaque legi poterunt apud Petrum Ballerini in aureo libro *De vi et ratione Primatus* cap. 13. Quamobrem Catechismus Romanus ad art. 9. Symboli §. 12 praeclare et verissime tradidit: *Fuit illa omnium Patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile Caput* (Romanum Pontificem) *ad unitatem Ecclesiae constituendam et conservandam necessarium fuisse.* Sane Christus Dominus non plures, sed unam Ecclesiam constituit; primaque et potior Ecclesiae praerogativa in unitate posita est, quod Synodus Constantinopolitana I in Symbolo Fidei definivit. Nulla autem unitas esse potest, aut excogitari, nisi unus et certus sit Episcopus, cui reliqui Pastores et fideles adhaerere et subesse teneantur. Itaque Christus, ait Cyprianus lib. de Unit., *ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit ..... et Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur.* Et Optatus Milevitanus lib. 2 contra Parmenianum: *Negare non potes Petro Cathedram Episcopalem primo*

collatam, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent.

Haec autem unitas potissimum sita est in unitate fidei et unitate caritatis seu communionis. Primo quidem in unitate fidei, quatenus fideles omnes per ejusdem fidei professionem Ecclesiam unam efficiunt. Ad rem antiquus Auctor Commentarii in Psal. 23, Hieronymi operibus olim inserti: *Ecclesia,* ait, *ex pluribus personis congregatur, et tamen una dicitur propter unitatem fidei.* Secundo autem propter unitatem caritatis seu communionis, quo nomine venit specialis quaedam caritas, qua fideles debent non solum colere et diligere Episcopos suos, sed eis praecipue consentire atque obtemperare, singuli autem Episcopi et fideles communicare et subesse debent Summo Pontifici, qui catholicae unitatis et communionis centrum est et origo. Hinc Bossuetus in expositione doctrinae cathol. cap. 24 egregie scripsit, *auctoritatem Episcopatus statuere unitatem in Ecclesiis particularibus, Primatum vero S. Petri esse centrum commune totius unitatis catholicae.*

Ex his colligere poteris, unitatem fidei et communionis cum Summo Capite Romano Pontifice penitus necessariam esse: ac inaniter profiteri sese communioni catholicae adhaerere, qui a Romano Pontifice propter haeresim, vel propter schisma dissentiunt. Cum Miletius, Vitalis, et Paulinus de Episcopatu Antiocheno contenderent, S. Hieronymus ad Damasum litteras dedit, ut verum Episcopum internosceret: *Ego,* inquit, *clamito: Si quis Cathedrae Petri jungitur, meus est. Miletius, Vitalis, Paulinus tibi haerere se dicunt. Possim credere, si hoc unus*

assereret: nunc autem aut duo mentiuntur, aut omnes; idcirco Beatitudinem tuam obtestor, ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes.

De hoc argumento legendum est praeclarum opus *De schismate,* quod gallice primo editum est, tum italice redditum prodiit anno 1718 sine nomine auctoris et loci.

§. 16.

DE NEXU PRIMATUS CUM ROMANA SEDE

Quamquam catholicis omnibus certum exploratumque sit, Romanos Pontifices divino jure in Primatum S. Petri succedere, quia Christus Primatum ipsum perpetuo in Successoribus Petri permansurum instituit: quaestio tamen est; quonam jure, divino ne, an humano Supremus Pontificatus Romanae Sedi adnexus sit, et idcirco an praerogativa Primatus ipsius a Romana Sede evelli, et in aliam Sedem transferri possit? Putant aliqui conveniens fuisse, et forte etiam necessarium ad omnem removendam dubitationem super legitimo Successore S. Petri, ut Sedes aliqua particularis pro suis Successoribus a Petro eligeretur, tamquam *medium* quoddam, quo Primatus praerogativa in certos Successores transiret; sed in Petri potestate fuisse quam mallet Sedem eligere, et ideo Petri voluntate factum esse, ut Romae potius, quam alio in loco suam Sedem ad mortem usque collocaverit. Quemadmodum ergo (sic enim argumentantur) ex facto Petri, quod humanum est, Primatus universae Ecclesiae in Romana Sede relictus fuit, sic poterit ex dispensatione humana, nempe Ecclesiae, iterum ab ea Sede separari.

Aliqui contra affirmant, Romanam Sedem electam et Successoribus Petri constitutam fuisse, non ex unius Petri, sed etiam ipsius Christi voluntate; ex quo consequitur, Primatum eidem Sedi divino jure ita adnexum esse, ut nulla auctoritate humana possit ab eadem separari. Ad hanc tuendam sententiam mirifice faciunt illa SS. Patrum et Conciliorum dicta, in quibus de Sede Romana adeo praeclara praedicantur, ut semper eam asserant ab ipso Salvatore nostro Primatum obtinuisse, nec non disponente Domino Ecclesiarum omnium matrem et magistram extare. Quis enim ignorat celebre illud Gelasii dictum in Concilio Romano: *Sancta Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris Ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri Primatum obtinuit* (Apud Mansium Conciliorum edit. tom. VIII col. 147)? Et ante Gelasium S. Leo ep. 120 ad Theodoretum scripserat de Sede Romana his verbis: *Ceteris Dominus statuit praesidere.* Ac denique, ut cetera omittam, in Concilio Lateranensi IV Sedes Romana praenunciatur, unam eam esse, *quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra.*

Hac de re legendus est Benedictus XIV *de Syn. Dioeces. lib.* 11 *cap.* 1, Ballerinius *Vindic. auctorit. Pontif. cap.* 8 §. 2, Dissertatio Augustoduni edita an. 1782, cui titulus *Epistola Sillasipi a lapide, an summus Pontificatus a Romana Ecclesia avelli, et alio transferri possit*, et Auctor *Febronii abbreviati cum notis tom.* 1 §. 3, ex quo facere non possum quin aliquot argumenta sumam, et hoc loco in medium proferam, quibus

sententia nostra mirum in modum confirmatur. Sunt autem hujusmodi: 1.° *Huic Sedi non aliquod Concilium, non alii homines, sed solus Petrus, et quidem si non speciali praecepto, saltem instinctu divino Primatum adnexuit.* 2.° *Sedes Primatus tot inter procellas mirabiliter conservata fuit, ut nec Pagani nec haeretici contra eam praevalere potuerint, dum e contra omnes aliae Ecclesiae apostolicae, et Sedes Patriarchales ab haeresibus et infidelitate absorptas esse videmus.* 3.° *Romana Ecclesia ultra mille septingentos annos in quieta possessione Primatus fuit, et a primis usque temporibus nullum Concilium, nullus S. Pater, nullus Imperator vel cogitavit, vel dixit Primatum hunc a Romana Sede ad aliam transferri posse, quod silentium et possessio contrariam sententiam de auferibilitate faciunt omnino incredibilem et temerariam.* 4.° *In aliis Ecclesiis, ad quas forte transferretur Primatus, deficeret Apostolicitas, idest, non foret Apostolica, tum quia ab Apostolis neque fundata, neque a Petro immediate gubernata fuisset, sicque regrediendo a saeculo ad saeculum, usque ad Petrum perveniri non posset, in quo tamen praecipuum argumentum contra haereticos posuerunt SS. Patres Irenaeus, Cyprianus, Augustinus, traditionem Apostolicae doctrinae per continuam seriem Romanorum Pontificum demonstrantes, dum aliae Ecclesiae vel incertam, vel saltem non apostolicam habebant originem.* 5.° *Per talem translationem periret ipsa traditio Patrum, qui dicunt, ideo Primatum in Romana Ecclesia haerere, quia haec a S. Petro fundata, et usque ad mortem suam gubernata fuit, atque ab eodem depositum doctrinae tenet, atque custodit.* 6.° *Talis translatio foret causa schismatum, et fomes litium nunquam finiendarum.*

§. 17

DE POTESTATE SUMMI PONTIFICIS

Eminentem Primatus dignitatem nonnulli scriptores imminuere, et propemodum destruere conati sunt, excogitata distinctione *mediatae* et *immediatae* potestatis: siquidem tradiderunt, potestatem Primatus non esse *immediatam* seu ordinariam, ita ut ad Romanum Pontificem, tamquam ordinarium Pastorem, cura et regimen singularium ovium pertineat; sed potestatem eam tantummodo *mediatam* seu *extraordinariam* esse, quatenus tota vis Primatus posita est *in supplenda aliorum negligentia*, et aliud nihil potest in aliena Dioecesi, nisi *extraordinario casu*, ubi salus et unitas Ecclesiae periclitetur. Quae quidem opinio contraria est tum verbo Dei, quandoquidem ab ipso Christo totus grex, hoc est, fideles omnes et Episcopi Petro immediate traditi sunt illis verbis Joan, XXI 15, 16, 17: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; tum doctrinae Conciliorum, ex quibus unum proferam generale Lateranense IV, cujus haec verba: *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum;* tum Sanctis Ecclesiae Patribus, qui Romanum Pontificem certatim appellant Pastorem Pastorum, Episcopum Episcoporum, Episcopum universalem; tum denique doctrinae catholicae de Romani Pontificis Primatu. Facultas Theologica Parisiensis anno 1683: *Antiquae suae in Sedem Apostolicam reverentiae esse duxit hic breviter de ea praefari, diserteque repertere, quod*

olim non semel professa est, Romanum Episcopum esse jure divino Summum in Ecclesia Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur, et qui immediate a Christo non honoris solum, sed potestatis et jurisdictionis Primatum habeat in tota Ecclesia. Idque debent Catholici omnes profiteri. Jam vero *si Romanus Episcopus est divino jure Summus in Ecclesia Pontifex, si immediate a Christo Primatum potestatis et jurisdictionis in tota Ecclesia habuit, si omnes Christiani eidem parere tenentur, manifeste falsa, atque etiam catholicae doctrinae adversa eorum opinio est, qui docent Pontificem nihil in Ecclesia posse, praeterquam in casibus extraordinariis ad supplendam aliorum negligentiam.* Praeclare igitur Natalis ab Alexandro mentem suam, imo vero doctrinam Ecclesiae catholicae sic explicat dissertatione IV in saeculum I schol. 3: *Romanus Pontifex summam habet, eamque ordinariam, in Ecclesia universa potestatem et auctoritatem; quam non extraordinariis dumtaxat casibus, sed semper exercere potest et in fideles universos et in ipsos Ecclesiae totius Episcopos, quia Pastorum omnium* UNUS *est Pastor.*

Vide Zallinger Jur. eccl. pub. cap. 4 §. 341, et Ennodium Faventinum *De Romani Pontificis Primatu* part. secunda capitibus 5 et 6.

§. 18.

DE RATIONE DETERMINANDI OFFICIA ET JURA PRIMATUS

In determinandis officiis atque juribus, quae Primatui cohaerent, aliqui Canonistae hac ratione argumentari solent. Nempe ajunt, omnia Primatus officia ac munera in tuenda conservandaque Ecclesiae unitate sita esse, ideoque tantam in Primatu potestatem auctoritatemque inesse, quanta ad eum finem obtinendum est prorsus necessaria. Itaque concludunt, *ea omnia et sola esse Primatus jura, sine quibus unitas Ecclesiae christianae conservari non potest.*

Verum qui sic argumentantur in eo peccant, quod jura Primatus iis limitibus coarctant, quos Christus minime posuit. Primatus quidem ad tuendam conservandamque unitatem institutus est; veruntamen multa eaque praeclara jura, obtinendo fini maxime consentanea, hoc est, jubendi, judicandi, cogendique potestatem a Christo ipso accepit, quo melius supremam in Ecclesia universa potestatem exerceat.

Hinc Tridentina Synodus sess. XIV cap. 7: *Merito*, inquit, *Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Igitur jura Primatus profluunt tum EX FINE TUENDAE UNITATIS, tum EX SUMMA ET PLENA POTESTATE, qua Pontifex ad explendum munus suum in tota Ecclesia potitur.

Scite admodum Auctor Operis, quod inscribitur « *Quis est Petrus? Sive qualis Petri Primatus* » Ratisbonae 1791 pag. 97 et seqq.: *Pervulgatum hodie*, ait, *ac tantum non universale inter nostros Canonistas axioma est, idque oppido fallax et aequivocum: CUM PRIMATUS PROPTER UNITATEM ECCLESIAE SIT, NIHIL PRIMATEM POSSE, QUOD AD UNITATEM NON SIT NECESSARIUM. Hoc axiomate, ut ajunt, indubitabili, certissimoque assumpto sequelas inde plurimas derivant, queis totam quantam summi Pontificis potestatem aut arctissime contrahere, aut penitus enervare, irritamque facere allaborant. Cum enim ex una parte circa dogmata fidei morumque Papae sententiam negent esse infallibilem, nisi per accedentem, et quidem universalem Episcoporum consensum; cum insuper ex altera parte nihil concedant a Papa statui et imperari posse, nisi quod ABSOLUTE necessarium sit ad conservandam Ecclesiae universalis unitatem, ad hanc vero nulla sit necessaria lex circa disciplinam, utpote quae pro varietate locorum varia esse possit; consequitur Pontificiam auctoritatem, tam quoad res fidei et morum, quam et disciplinae, per se ipsam nihil amplius valere, sed sine omni jam efficacia esse, irritamque, ac nullam. Ita juris episcopalis restauratores hodierni (si Superis placet) scopum consiliorum suorum attigisse sibi videntur, magnoque sibi plausu adjubilant. Sed triumphi paeana ante victoriam canunt.*

Satisne bona fide vel primum jam principium ponitur verbis hisce indeterminatis et aequivocis: PRIMATUS EST PROPTER UNITATEM? Quaero ex ipsis, quam unitatem intelligant, an FIDEI tantum, an duplicem illam, quae a Christo in sua Ecclesia instituta est, tam FIDEI, quam et OBEDIENTIAE unitatem? Si primum illud tacite intendant, eo ipso manifesta jam ipsorum fallacia est: Christus enim non solum ejusdem fidei, sed etiam ejusdem obedientiae suam voluit esse dilectam sponsam unius viri, seu unum corpus sub uno Capite, unum ovile sub uno Pastore. In altero eoque integro tantum sensu firmum stat hoc principium: PRIMATUS A CHRISTO INSTITUTUS EST, UT UNA IN

FIDE ET OBEDIENTIA CHRISTIANORUM SIT ECCLESIA. Jam vero principii veritate pleno in lumine posita, nonne in aprico est nuda consequentiae falsitas; ERGO PAPA NIHIL POTEST, QUOD AD UNITATEM NON NECESSARIUM? Quam haec inania et fallacia verba! Ita potius debuisset fieri conclusio: ERGO CUM PAPA IMPERAT, NECESSARIO OBEDIENDUM EST. Ipsa enim obedientia ad unitatem a Christo institutam necessaria est: hinc omnes suas fideles oviculas Petro subditas esse voluit, cui soli jus totum ovile pascendi dedit: PASCE OVES MEAS.

§. 19.

DE ESSENTIALIBUS ET ADVENTITIIS JURIBUS PRIMATUS

Distinctio inter jura Primatus *essentialia* et *adventitia* nova est, sicut nomina ipsa nova sunt, et plane excogitata ad potestatem Primatus deprimendam. Jura *essentialia* dicunt, quibus semper et ubique Summi Pontifices usi sunt: *adventitia* vero, quae ex veteri Ecclesiae disciplina in confirmandis Episcopis, et plerisque causis finiendis non a Summo Pontifice, sed a Metropolitis, et Conciliis provincialibus exercebantur. Cum itaque Summi Pontifices, commutata Ecclesiae disciplina, haec posteriora jura sibi adjudicaverint, ea profecto non essentialia jura Primatus, sed prorsus adventitia habenda esse contendunt.

Hac super re animadvertendum in primis est, jura Metropolitarum, Conciliorumque provincialium ab Ecclesia originem duxisse; neque enim Christus provincias designavit, neque Metropolitas instituit, neque ea de re ullum Apostolis mandatum dedit; et quamquam Doctores non

consentiant inter se circa originem et potestatem Metropolitarum, Conciliorumque provincialium, cum alii a Sede Apostolica, alii ab Ecclesiarum consuetudine ortam esse contendant (de quo infra disputabimus); illud tamen apud omnes compertum est, eorum originem et potestatem institutioni humanae tribuendam esse.

Ea igitur potestas, quam Metropolitae, Conciliaque provincialia in Episcopos comprovinciales humana institutione exercebant, non erat eorum propria et nativa; tantummodo ejus potestatis usus ipsis tributus fuerat. Ipsa vero potestas in Pontifice residebat, ut qui ratione Primatus divinitus instituti omnem potestatem Ecclesiasticam in se complectitur. Hinc Metropolitae, et Concilia provincialia in usu eorumdem jurium auctoritati Primatus omnino suberant: quapropter Siricius, Innocentius, Zosimus, aliique Romani Pontifices provinciarum fines, et jura Metropoleon statuerunt; Episcoporum electiones, judicia lata, resque ceteras a Metropolitis et Conciliis provincialibus gestas, aut confirmarunt, aut resciderunt, quorum exemplorum plena est ecclesiastica historia.

Itaque verissime dictum est a Thomassino in notis ad suum opus de vet. et nov. Eccl. discipl.: *In Pontifice tota semper plenitudo potestatis residet, etsi non totam semper exerceat.* Ubi ergo per se exercere coepit, non jure aliunde comparato, sed jure proprio usus est. Ex quibus perspicue liquet, jura, de quibus loquimur, a Metropolitis, et Conciliis provincialibus ad Romanos Pontifices non advenisse tamquam *nova* et *adventitia*, propterea quod nullum jus novum et adventitium accedere ad

eos potuit, qui ratione Primatus plenitudinem potestatis habebant.

Praeclare Thomassinus in notis ad suum opus *de nova et veteri Ecclesiae disciplina* animadvertit, eam potestatem a Conciliis provincialibus in Rom. Pontificem non esse translatam, eique velut novum jus accrevisse, quo antea careret; sed *quam semper alicubi exercuerat, eam supersedentibus Conciliis provincialibus coepisse ubique terrarum solus exercere.* Et deinde: *Ubi jus ab inferiori ad superiorem devolvitur, non accipit ab inferiori, nec usurpat in inferiorem superior..... Non repetere potest a superiori inferior..... Solemne enim est, jura omnia ad superiores ab inferioribus devolvi, et omnium prorsus potestatum spiritualium jura ad Summum Pontificem devolvi posse, quia summus omnium vertex est..... Si autem haec jura a Conciliis provincialibus ad Summum Pontificem devolvuntur, quia summus omnium vertex est, perperam ergo inde infertur, quod ea ex sese non habeat, quod ea usurpet, quod contrario usu possit amittere.*

§. 20.

DE JURE DEFINIENDI CONTROVERSIAS DE FIDE ET MORIBUS

His praepositis, ad Primatus jura singillatim enucleanda accedamus. Doctores aliqui sic ea distribuunt, ut alia in Ecclesiam dispersam, alia in Ecclesiam congregatam, hoc est in Concilia generalia, exerceantur. De Conciliis generalibus dictum satis est in Praenotionibus; nunc vero de aliis juribus acturi, a jure definiendi quaestiones fidei et morum initium ducimus.

Itaque Romanus Pontifex constitutus est catholicae doctrinae magister, et judex controversiarum de fide et moribus, de quo catholicorum nemo dubitat. An vero ejus judicium, cum *ex cathedra* loquitur, *infallibile* sit, nonnulli Theologi in dubitationem adducunt, putantes Pontificis judicium non esse irreformabile, nisi consensus Ecclesiae accesserit. Sed antiqua et potior sententia est, quae Romano Pontifici de rebus fidei et morum universam Ecclesiam docenti privilegium infallibilitatis vindicat. In alterutra sententia, qui catholici esse volunt, debent definitionibus summi Pontificis non modo obsequentes se praebere, verum etiam interno mentis assensu audire et credere. *Cum*, ut praeclare ait Petrus Ballerini in appendice de infallibil. Pontif. in definit. dogmat. §. 10, *ex fine et officio primatus definit aliquid credendum vel damnandum ex catholica fide, et obediendum quidem iis apostolicis judiciis etiam assensu fidei et obsequio interno, ut vel ipsi Episcopi Gallicani confessi sunt, et ita praestandam ipsis eam fidei unitatem, quam cum centro catholicae unitatis necessariam traditio docet.* Quam quidem obligationem denunciavit S. Petrus act. cap. 15 v. 7 his verbis: *Viri fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes, et credere.* Non dixit per os meum audire, et Ecclesiae vel Apostolorum consensum expectare, sed AUDIRE ET CREDERE.

Haec quidem de Pontificis infallibilitate sententia multis Sacrarum Scripturarum, et Sanctorum Patrum testimoniis demonstratur; qua de re Theologi disserere copiose solent.

Sed quoniam ad Canonistas quoque pertinet, ecclesiasticarum Constitutionum vim potestatemque perspectam et exploratam habere, sic unum saltem argumentum, et illud quidem planum, sed omnino efficax et invictum promendum est, ex quo facile intelligatur, Pontificis definitiones a veritate deficere nunquam posse, ut proinde necesse sit eisdem tamquam catholicis veritatibus, et externo obsequio, et interno cordis assensu firmiter adhaerere.

Argumentum autem ex fine Primatus hac ratione conficitur. Catholici omnes confitentur, Primatum, quem Petro et Successoribus Christus contulit, ad unitatem maxime fidei in Ecclesia confirmandam institutum esse, ejusdemque Primatus auctoritatem non solius vigilantiae, adhortationis, et directionis, sed verae et propriae jurisdictionis auctoritate contineri, et eam denique jurisdictionem tantam esse, quanta ad christianos in fide et Religione continendos necessaria est. Non enim dici, ac ne putari quidem potest, Christum dedisse Pontifici munus conservandae unitatis, et non dedisse potestatem ac vim, sine quibus eadem unitas conservari nequeat. Sed Pontifex unitatem fidei custodire non potest, nisi ejusdem definitiones certam et irreformabilem credendi regulam constituant, cui omnes subesse teneantur. Si enim subortam de fide et Religione controversiam Pontifex *ex cathedra* definiat, et nihilominus integrum fidelibus sit assentiri vel dissentire, quia Pontifex falli potuit, unitas fidei nulla erit, sed perpetuae dissensiones, totque et tam dissonantes in fide et Religione sententiae, quot in Ecclesia et quam diversa sunt capita.

Sed inquiunt, definitionibus judiciisque dogmaticis Summorum Pontificum obsequendum esse *provisorie, seu non dogmatizando contrarium, quamdiu non reclamat Ecclesia,* eoque pacto schismata, et sententiarum dissidia removeri. At vero si ad unitatem in fide exigendam opus est praesidio, sive accessione consensus saltem taciti Ecclesiae, aut Episcoporum, Primatus utique nec aptus erit, nec idoneus ad illud efficiendum, cujus gratia institutus est. Praeterea cum nomine Ecclesiae, quae reclamare potest, praesertim Episcopi intelligantur, illud reliquum est, quod judicium Pontificis judicio peculiaris cujusque Episcopi subsit; cum nemo reclamare jure possit, nisi cognita causa judicaverit Pontificem in sua definitione erravisse. Igitur ea sententia dignitati et fini Primatus omnino detrahit. Sed officit etiam tum fidei, tum animarum tranquillitati, propterea quod nullus foret promptus et efficax modus, quo nascentes haereses statim opprimerentur, nam sero medicina paratur, cum malum invaluit: anceps et incerta maneret fides, quam Catholici sequi deberent, quoad Ecclesiae judicium expectaretur: nulla denique esset certa via et expedita, qua Ecclesiae consensus investigari posset, ideoque nihil firmum immotumque haberetur, cui assensus fidei adhaereret. Quamdiu enim consensus Ecclesiae expectandus erit? an consensus fidelium postulatur, an Episcoporum tantum? an omnium, an plerorumque? quid si qui reclamaverint? quis judex erit in numeratione consentientium et dissidentium, ut inde compertum sit, an consentientium numerus satis sit catholico dogmati stabiliendo?

quis hunc sufficientem consensum fidelibus annuntiabit? Semper itaque in sententia adversariorum locus dubitandi esset reliquus, cujus dubitationis nullus est institutus judex, nec proinde Christus Ecclesiae suae satis consuluisset. Quas ob res si ad Ecclesiae unitatem in fide conservandam Primatus a Christo positus fuit, necesse profecto est, ut Pontifex in suis definitionibus errare non possit, et ipsius proinde judicium christiani omnes, et judices etiam minores sequi debeant.

Vide Bellarminum de Rom. Pontifice lib. 4 cap. 3 et seqq., Melchiorem Canum de locis theolog. lib. 6, Jacobum Serry dissert. 1. de Rom. Pontif. falli et fallere nescio, Cardinalem Orsium de irreformabili Rom. Pontificis in definiendis fidei controversiis judicio, Petrum Ballerinium de vi ac ratione Primatus Rom. Pontificis cap. 15.

§. 21.

DE JURE PRAVORUM LIBRORUM LECTIONIS INTERDICENDAE

Quiqui imperium inter homines tenent, non modo jure possunt, verum etiam ratione muneris, quo funguntur, omnino debent ea omnia removere et tollere, quae communitati afferunt detrimentum. Atqui nemo non intelligit quantum Societatibus noceant libri mali, qui a rectis credendi vivendique regulis abducunt, mores corrumpunt, dissidia et seditiones adversus legitimas potestates concitant, omnia denique divina et humana jura miscere, perturbare, et convellere student, ita ut non temere dixeris, nullum jam

esse in civitate malum, quod ipsi non fecerint. Jure igitur ac merito Hebraei, Graeci, Romani dein Imperatores, omnesque bene constitutae Societates in hujusmodi pestifero et impio librorum genere exterminando assiduam diligentemque operam posuerunt. Sic etiam Ecclesia Catholica, ne depositum fidei, et animarum salus in discrimen adduceretur, libros Religioni ac moribus noxios perpetuo notavit, eorumque lectionem interdixit. Cum Paulus venisset Ephesum, et divinum verbum annunciaret, *multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus*, quod legimus Actorum Apost. XIX. Hic autem non commemorabimus judicia, quibus Ecclesia in Conciliis generalibus nullo non tempore pravos libros damnavit, eosque legi et retineri vetuit. Quae quidem judicia, quoniam ad fidem et mores pertinent, sunt omnis erroris expertia. Episcopi etiam, sive seorsum, sive in Conciliis Provincialibus congregati, libros damnare, eorumque lectionem interdicere consueverunt: qua in re potuerunt errori obnoxii esse; et praeterea eorum jurisdictio terminis Dioecesium vel Provinciarum circumscribebatur.

At in primis Romani Pontifices in hac peste librorum avertenda solliciti maxime fuerunt: cumque in judiciis de fide et moribus non secus atque Ecclesia errare non possint, ut supra diximus, suisque legibus christianos omnes obstringant, hinc universo ex orbe catholico libri, de quibus aliqua suspicio suberat, ad Romanos Pontifices mittebantur, ut qui eorum judicio probati essent reciperentur, qui vero improbati ab omnium manibus eri-

perentur. Jam inde a saeculo tertio Dionysius Alexandrinus ad Dionysium Summum Pontificem libros quatuor misit, ut nosceret an recte de Trinitate scripsisset. Et Augustinus libros quatuor contra duas Pelagianorum litteras ad Bonifacium Pontificem misit, significans sese ea scripta mittere *non tam discenda quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda.* Libri Origenis ad Pontianum Pontificem, liber Pelagii ad Innocentium I, libri Priscillianistarum ad S. Leonem M. missi fuerunt, et eorumdem Pontificum judicio condemnati. Athanasius Presbyter ad Gregorium Magnum confugit, ut suspicione haeresis se purgaret: Gregorius veritus, ne quid fraudis subesset, illius Episcopum Joannem Constantinopolitanum interrogandum censuit. Joannes autem se adversus Presbyterum commotum fuisse respondit, propterea quod apud eum codex inventus esset haeretica labe contaminatus, et codicem ipsum Gregorio recognoscendum misit: *quem quia,* inquit Pontifex ep. 66 lib. 6, *ad nos studuit pro satisfactione transmittere, priores ejus partes sollicita lectione percurrimus. Et quoniam manifesta in eo haereticae pravitatis venena reperimus, ne denuo debuisset legi vetuimus.* In quem locum Maurini: *Agnosce,* inquiunt, *antiquam in Romanis Pontificibus libros aliquos prohibendi potestatem, et consuetudinem, cui parere tenebantur etiam Orientalis Ecclesiae alumni, Constantinopolitano Patriarchae aut alteri alioquin subditi.*

De jure et modo libros fidei et moribus noxios prohibendi diligenter disseruit Jacobus Gretserus Operum tom. 13, et Ga-

briel Putherbeus in suo *Theotimo*, qui sunt *libri tres de expurgandis malis libris:* Franciscus Ant. Zacharia scripsit *Historiam polemicam de prohibitione librorum*. Vide etiam Joannem Devoti Inst. Canon. lib. 4 lit. 7.

§. 22.

DE JURE FERENDI LEGES

Recta administratio Ecclesiae postulat, ut Ecclesiastica disciplina bene ordinata consistat, ubi collapsa sit instauretur, interdum etiam temporibus et locis accommodanda. Officium autem et jus ferendarum legum universalium de Ecclesiastica disciplina ad Romanum Pontificem pertinet, quia supremum Ecclesiae Caput est, cui *pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Jesu Christo plena potestas tradita fuit*, quae est Concilii Florentini definitio. Quomodo enim totius gregis Pastor reget, gubernabitque Ecclesiam, si jure ferendarum legum destituatur, ita ut nequeat jubere, quae recta sunt, et prohibere contraria? Igitur ii, qui Primatum non modo honoris, sed verae jurisdictionis divinitus institutum agnoscunt (agnoscere autem debent qui catholici esse volunt) , fateantur necesse est, potestatem ferendarum legum ita Summorum Pontificum esse propriam, ut, ea sublata, Primatus etiam divinitus institutus evertatur.

De Constitutionibus, sive legibus Roman. Pontificum diximus etiam in Praenotionibus, itemque de earum promulgatione, acceptatione, neque non de Placito regio. Haec omnia huc quoque pertinent, et digna sunt, quae ante oculos habeantur.

§. 23.

DE JURE TUENDI SACROS CANONES

Ex cura totius Ecclesiae Petro ejusque Successoribus concredita oritur officium et jus naviter curandi, ut sacri canones ab omnibus observentur. Hinc Bonifacius I ep. 5 ad Hilar. Arelat. ait: *Convenit, Papas paternarum sanctionum diligentes esse custodes.* Romanis quidem Pontificibus perpetuo summae laudi datum est, quod sanctissimas Patrum regulas et ipsi coluerint summopere, et ab omnibus servandas diligentissime curaverint.

Huic juri cohaeret jus animadvertendi in eos, qui contra fecerint. Sunt enim Romani Pontifices, non modo sacrorum canonum custodes, sed etiam vindices. Quid nimirum ea cura prodesset sine vi ad coercendum idonea? Quapropter Caelestinus I in epist. ad Episcopos per Apuliam, et Calabriam: *Quisquis,* inquit, *conatus fuerit tentare prohibita, sentiat censuram Apostolicae Sedis minime defuturam. Quae enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus.* Et Leo Magnus in epist. ad Episcopos per Campaniam, Picenum, et Tusciam haec habet: *Omnia decretalia constituta tam beatae memoriae Innocentii, quam omnium Decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Quis vero ignorat ea, quae contra Quarto-decimanos, Rebapti-

zantes, atque alios Ecclesiasticis legibus repugnantes a Victore, Stephano, ceterisque Pontificibus gesta sunt? *Ille, Leo scilicet Pontifex Romanus*, ait Auctor Defens. Declarationis Cler. Gallic. in Corollario ad calcem ejusdem operis, *latrocinalem Synodum valere non est passus: imperatoria potestate fretum Alexandrinum Dioscorum fregit, ad instaurandam cognitionem Imperatorem perpulit. Chalcedonensis Synodi auctor, ac deinde executor ad constabiliendam communem Ecclesiae fidem invicta potentia stetit. Eadem exequendi auctoritate freti Gelasius, ac deinde sequuti Romani Pontifices adversus Imperatores, ac Regiae urbis Antistites in Chalcedonensem Synodum rebellantes nulla nova Synodo indigere se professi, tanta egere confidentia tantaque vi, ut Imperatores, totamque orientalem Ecclesiam ad condemnandos perduelles sola jam Sedis Apostolicae auctoritate perpulerint - Constantinopolitani Praesules alta spirantes, et Principum gratia ferocientes, et a Nestorianis Acacianisque temporibus Ecclesiae graves, tamquam in schisma erupturos animo providerent, qua gravitate poterant, coercebant - Itaque eorum tanta vis fuit, ut Agapetus Papa exul et supplex Constantinopolitanum Praesulem (Anthimum) ad pristinam Trapezuntinam Sedem contra Canones dimissam amandaret; ab hac quoque dejiceret, nisi rectam profiteretur fidem.*

Ex quibus satis superque refellitur eorum error, qui contendunt Summum Romanum Pontificem sacrorum Canonum merum executorem esse; ideoque monere et hortari, sed nulla in contumaces, nisi in ipsis Canonibus sancita, poena animadvertere

posse. Et hi quidem impetum faciunt in Primatum jurisdictionis Sancto Petro ejusque Successoribus divinitus traditum, cum ab eo auferant coercendi jus, sine quo omnis actus jurisdictionis contemni impune potest.

§. 24.

DE JURE DISPENSANDI SUPER GENERALIBUS ECCLESIAE LEGIBUS

Generalis regula est, legis vinculum relaxari posse auctoritate eorum, qui aut legem condiderunt, aut parem cum iis potestatem tenent, ex notissimo juris axiomate: *Cujus est legem condere, ejus etiam est illius obligationem remittere.* Itaque Pontifex super omnibus ecclesiasticis legibus, et canonibus quoque Conciliorum generalium ad disciplinam pertinentibus, dispensandi potestate potitur, utpote qui omnem jurisdictionem Ecclesiasticam, seu plenitudinem potestatis ab ipso Christo accepit. Ad hoc jus comprobandum potest argumentum etiam duci ab ipsa dispensationum necessitate. Enimvero ad spiritualem fidelium gubernationem, atque adeo ad ipsam Ecclesiastici regiminis rationem pertinet, ut in Ecclesia sit qui, necessitatis aut utilitatis causa intercedente, potestatem habeat legis relaxandae. Cui autem melius quam Pontifici eam potestatem tribuemus?

Huc accedit constans Ecclesiae Traditio, Patrum et Doctorum consensus, ac generalium Conciliorum testimonia, quibus haec Pontificis potestas comprobatur. Generalis Synodus VIII dispensationes aliquas non quidem

largita est, sed a Romano Pontifice flagitavit: qua de re Natalis Alexander diss. de Photiano schismate §. 22 haec habet: *Scripserunt etiam ad eumdem Pontificem* (Hadrianum II) *Basilius Augustus, et Ignatius Patriarcha, ejus Sanctitatem rogantes, ut de Lectoribus plurimis ordinatis a Photio sententiam diceret, de quibus non judicarat Synodus, an a Sacerdotii ordinatione in perpetuum removendi essent, eisve gratiam faceret ob Ecclesiae necessitatem. Rogabant etiam, ut cum Theodoro Metropolita Cariae dispensaret, eique restitueret Episcopatum, quia multa pro Ignatio passus fuerat; nec defecerat ad Photium, nisi tormentis compulsus. Intercedebant denique pro Paulo Cartophylace, ut, concessa ipsi venia, posset ad Episcopatum promoveri. Magnificum sane pro Romani Pontificis Primatu testimonium, quod Synodus Oecumenica dispensationes a Summo Pontifice roget; eique, non aliis Patriarchis, potestatem a Christo concreditam agnoscat temperandi severitatem canonum, qui ab Ecclesia recepti sunt universa.* Ipsum Basileense Concilium, quod sane Romani Pontificis auctoritati minus favit, haec habet in epist. synodica: *Per Concilium autem statuta in nullo derogant potestati Summi Pontificis, quin pro tempore, loco, causisque, et personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari dispensareque possit.* Quamobrem Auctor defensionis declarationis Cleri Gallicani part. 3 lib. 2 cap. 16 professus est: *Sedis Apostolicae dispensationes nemo catholicus, nemo veri regiminis sciens, aut rerum ecclesiasticarum gnarus abstulerit.*

Gerson, ait Febronius, eam dispensandi facultatem in Romano Pontifice *non videtur admittere*. Sed admittunt praestantissimi quique Theologi et Canonistae, admittunt quotquot in orbe sunt Catholici, qui earum legum relaxationem ab uno Pontifice petunt, admittunt Concilia generalia. Num hi omnes et Gersoni et Febronio et eorum asseclis auctoritate non praestant?

§. 25.

DE JURE APPROBANDI ORDINES REGULARES

Quidam Doctores putant approbationem Ordinum Regularium ad Pontificem pertinere ex jure tantum positivo, quatenus Concilia Lateranense IV, et Lugdunense II decreverunt, ne deinceps sine Apostolicae Sedis approbatione nullus novus Ordo institueretur ob pericula et perturbationes, quae ex nimia Religionum frequentia oriri poterant (cap. fin. de relig. domibus, et cap. unic. eod. tit. in 6). Verum aliquae rationes proferri possunt, propter quas ea approbatio ad Summum Pontificem jure suo pertinere videatur. Primo quidem, quia hujusmodi jus ad rectam Ecclesiae administrationem conducit; haec autem administratio ad Summum Pontificem in primis pertinet; deinde vero quia, ut ait Sylvius in 2 2 q. 186 art. 1, *majores causae, quae salutem animae tangunt, reservari solent Sedi Apostolicae; Religionum autem approbatio ad majores causas pertinet: quia denique absque approbatione Religiones neque securitatem haberent, neque immobilitatem; possent enim errores in statutis contineri, et facile possent Congregationes dissolvi*. Et sane nec se-

curitatem, nec *immobilitatem* Congregationes religiosae olim habuerunt, dum monasteriorum conditores, pro suo quisque arbitrio, monasticam disciplinam temperabant: non *securitatem*, quia contingere poterat, ut regulae ad evangelicam perfectionem comparandam minus essent aptae et accommodatae: non *immobilitatem*, quia tot erant regulae, quot monasteria, et regulae ipsae passim mutatae, et plures non raro in eodem monasterio propositae. Approbatio igitur Summi Pontificis adeo necessaria habita est, ut sine ea, nec Religiones, nec vota solemnia consistant.

Melchior Canus in docto et eleganti opere de *Locis theologicis* lib. 5 cap. 5 scripserat: *Ordines vel probare, vel refellere, quoniam non e scientia id solum, sed etiam e prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus Summus Pontifex errare nequit.* Cum autem ea verba aliquibus Theologis et Canonistis plena inconsideratissimae temeritatis viderentur, quo sensu, eoque recto, intelligenda essent, Hyacinthus Serry *in Praefatione,* quam ante illud opus praemisit, cap. 11 demonstrare studuit. Confer itaque utrumque Auctorem.

§. 26.

DE JURE CANONIZANDI

Duplex ratio est sacro et publico cultu eos prosequendi qui ob martyrium, aut eximias virtutes magna cum sanctitatis fama obierunt, quarum altera *Beatificatio*, altera *Canonizatio* appellari consuevit. Gonzalez in cap. *Audivimus* de reliq. et venerat. Sanctorum: *Canonizatio*,

inquit, *nunquam licuit Episcopis; Beatificatio vero primis Ecclesiae saeculis ab illis fiebat.* Primis scilicet Ecclesiae saeculis Episcopi permittebant, ut alicui cultus et honor beatorum in suis peculiaribus Dioecesibus exhiberetur. Canonizatio autem, qua decernitur aliquem in Ecclesia universa pio cultu et honore colendum esse, nunquam nisi auctoritate Romani Pontificis fieri potuit; quod idem Gonzalez citato loco sic explicat: *Cum Sanctus canonizatus proponatur ab omnibus fidelibus colendus, et nemo nisi Pontifex praesit cunctis fidelibus, tantum Pontifex potest Sanctos canonizare. Accedit quod solemnis canonizatio est una de majoribus causis, quae inter christianos proponi potest, et per consequens ejus cognitio ad Pontificem spectat ex juribus adductis in cap. Majores de baptismo. Deinde quia miraculorum approbatio inter fidei quaestiones recensetur, sed quaestio fidei ad Pontificem referenda est, igitur tantum per Pontificem canonizatus publice venerari potest.* Hinc Henricus Pirrhing ad eumdem titulum Decretalium: *Ex quo*, inquit, *infertur quod Episcopi non possunt canonizare aliquem etiam pro suis Dioecesibus tantum, imo nec Legatus a latere ne quidem ex speciali commissione Summi Pontificis, quia is non potest delegare alteri res fidei.*

Itaque jure et merito Alexander III, dum cap. *Audivimus* de reliq. et venerat. Sanctorum his verbis usus est: *Etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanae Ecclesiae publice venerari,* et Innocentius III eod. tit.: *Re-*

liquias de novo inventas nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatae, jus canonizandi unius Apostolicae Sedis peculiare et proprium esse asseruerunt. An vero horum Pontificum ea mens fuerit, ut jus etiam beatificandi Apostolicae Sedi reservari voluerint, Doctores disputant. Papebrochius in Propyleo Maji dissert. 20 ait: *Neque tunc putaverunt Episcopi sublatam sibi facultatem circa inferioris ordinis cultum, quem Beatorum dicimus, modo ab Officio et Missa abstineretur.* Sed Urbanus VIII omnem dubitandi rationem omnino sustulit, facultate etiam beatificandi plane aperteque Romanae Sedi reservata.

Quaestio est, an decreta canonizationum sint, ut ajunt, *infallibilia;* et in utramque partem multa disseruntur. Nobis satis erit verba S. Thomae quodlib. 9 art. 16 in medium proferre: *Certum est,* inquit, *quod judicium Ecclesiae universalis errare in iis, quae ad fidem pertinent, impossibile sit. In aliis vero sententiis, quae ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est, judicium Ecclesiae errare propter falsos testes. Canonizatio vero Sanctorum medium est inter haec duo. Quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod neque etiam in his judicium Ecclesiae errare possit.* Et in responsione ad 2 inquit: *Divina Providentia praeservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur.*

De toto hoc argumento vide Benedictum XIV *de Servorum Dei Beatificatione, et Beatorum Canonizatione.*

§. 27.

DE JURE EPISCOPATUUM ERIGENDORUM

Novi Episcopatus eriguntur per Cathedrae Episcopalis institutionem, et per Territorii, seu Dioecesis circumscriptionem. Siquidem in loco apto, a quo Episcopatus nomen accipit, et unde Episcopus totam Dioecesim regit, Episcopalis Cathedra constituitur, ad eamque certum Territorium adjungitur, suisque finibus circumscribitur. Per hanc vero territorii, sive Dioecesis designationem, atque circumscriptionem jurisdictio Episcoporum determinatur, ita quidem ut Episcopus ad Episcopalem Cathedram legitime evectus, mox Episcopalem jurisdictionem in fideles omnes, qui intra fines Dioecesis sunt, exercere possit, sed ultra eos fines ei progredi nunquam licet. Hinc Concilium Antiochen. can. 9. statuit, *Episcopum nihil agere debere, nisi ea tantum quae ad suam Dioecesim pertinent secundum antiquam a Patribus nostris regulam constitutam.* At vero antiqui Patres nostri eam regulam ab ipsis Apostolis acceperunt, quandoquidem Apostoli in fundandis Ecclesiis potestatem Episcoporum certis locorum limitibus coercuerunt. Ita S. Paulus Timotheum Ephesi Episcopum fecit, Titum insulae Cretae, Dionysium Areopagitam Corinthi constituit Episcopos; ita S. Joannes Polycarpum Smyrnae dedit Episcopum, atque ita ab Apostolis jugiter factum est: quamobrem lib. de unit. Eccles. praeclare scripsit S. Cyprianus: *Singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet.*

Hoc loco quaeri solet, si Episcopus extra suam Dioecesim quidquam egerit, id eritne ratum et firmum? Jam vero videndum est, utrum id quod egit, ad potestatem ordinis, an vero ad potestatem jurisdictionis pertineat. Si de potestate ordinis quaestio est, si ex. gr. Confirmationem, vel Sacramentum ordinis ministravit, dummodo materiam et formam adhibuerit, quam ex Christi institutione Ecclesia Catholica semper adhibuit, idque facere sibi proposuerit, quod facit Ecclesia, minime dubitandum est, quin Sacramentum confecerit, ideo quod potestas ordinis, cum nec auferri unquam possit, nec amitti, uti perpetuo manet, sic perpetuo vim suam, et efficaciam retinet; Episcopus tamen illicite egit, poenisque obnoxius est per canones constitutis, propterea quod in alienas oves contra Ecclesiae leges officium Pastoris sibi arrogavit. *Nulli Episcopo liceat,* decrevit Concil. Triden. sess. 6. de reform. cap. 5; *cujusvis privilegii praetextu Pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab exercitio ordinum sint ipso jure suspensi.*

Quod vero ad potestatem jurisdictionis attinet, cum ea profluat vel ex *publico munere,* quocum conjuncta est, et *ordinaria* dicitur, vel ex alterius *delegatione,* quae *delegata* vocatur, hinc manifestum est, Episcopum nulla jurisdictione praeditum in eos esse, qui neque ratione muneris Episcopalis, neque ratione delegationis ei subditi sunt, proindeque si quid egerit, omnia ab eo gesta ex

defectu jurisdictionis non modo illicita habenda erunt, verum etiam nulla et irrita, idque in foro tum interno tum externo locum habet. Ad forum internum spectat decretum Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de Sacramento Poenitentiae: *Quoniam natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Ad forum autem externum spectat ejusdem Concilii Tridentini decretum sess. 14. cap. 8. de reform., quo Praelati, etiam dignitate Episcopali praediti, vetantur contra Clericos sibi non subditos *quorumcumque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprii ipsorum Clericorum Episcopi, si apud Ecclesiam resederit, aut personae ab ipso Episcopo deputandae interventu procedere: alias processus, et inde secuta quaecumque viribus omnino careant.*

Verum ut eo unde discessimus, revertamur; quisnam erigendorum Episcopatuum jus habeat dicendum est. Dicimus autem, et sine ulla dubitatione affirmamus, Ecclesiam eamque unam eo jure praeditam esse; idque manifestum est ex natura ipsius rei, quae tota spiritualis est, ideoque potestati solius Ecclesiae obnoxia; agitur enim de spirituali regimine animarum, de portione gregis singulis Episcopis assignanda, de finibus spirituali eorumdem potestati constituendis, ut inter Ecclesiarum Rectores tum ordo, tum unitas servetur; idque facili negotio tum ex

facto Apostolorum, tum ex decretis Conciliorum, tum ex Apostolicis Constitutionibus, denique ex perpetua et generali totius Ecclesiae disciplina confirmatur.

Petrus de Marca de Concord. Sacerd. et Imp. lib. II. cap. 9. quaestionem ponit, *an Principes potestate polleant novos Archiepiscopatus, aut Episcopatus instituere.* Qua de re priusquam respondeat, illud scite animadvertit, quod ubi primum Imperatores aggressi sunt novis Archiepiscopatibus, vel Episcopatibus erigendis operam dare, Innocentius I. in Epistola ad Alexandrum Antiochenum Episcopum, nec non Generale Concilium Chalcedonense can. 11. vehementer obstiterunt, ne ullum Ecclesiae juribus detrimentum inferretur. In Galliis Childebertus Francorum Rex Episcopatum Meloduni fundaverat ad petitionem plebis, ejusque rei oppugnatorem validum invenit Leonem Senonensem Episcopum in Epistola ad eumdem Regem data. Et consensu Sigiberti Regis in Castro Dunensi facta fuerat novi Episcopatus institutio, cumque Pappolus Carnotensis Episcopus aegre admodum id tulisset, res delata est ad Concilium Parisiense celebratum anno 573., quod acta omnia rescidit. Igitur *Gallicana Ecclesia*, ut ipse ait, *in eamdem sententiam cum Synodo Chalcedonensi, et Innocentii decreto conspiravit, putavitque nefas esse Regum imperio Episcopatus novos institui.* Totum vero caput hisce verbis concludit: *Quare non est quod a communi universalis Ecclesiae sensu recedamus foeda in Principes adulatione, ut contigit Marco Antonio de Dominis qui Episcopatuum institutionem Regibus perperam et contra ipsos Canones asseruit, cujus sententiam recentiores*

aliqui amplexi sunt. Tota rei istius disponendae ratio ad Ecclesiam pertinet, quemadmodum dixi.

At vero Ecclesia quemadmodum Episcopatus erigit, sic etiam supprimit, conjungit, et dividit, namque *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* reg. 1. juris in quinto Decretalium. Huc quoque spectat haec regula juris civilis: *Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvi, quo colligatum est* reg. 35. ff. de divers. reg. juris. Non fit autem suppressio, nisi ob gravissimas causas, de quibus ad Ecclesiam pertinet dijudicare. Illud exploratum est in aliquibus civitatibus Episcopales Cathedras fuisse suppressas in vindictam et poenam alicujus atrocis sceleris c. fin. caus. 25. quaest. 2., earumque Dioeceses instar fundi cum territorio alterius Episcopatus conjunctas, planeque confusas; quod conjunctionis genus a Canonistis vocatur *unio per confusionem.*

Quod vero ad unionem sive conjunctionem beneficiorum attinet, reliqui sunt duo modi, quibus beneficia conjunguntur; primo *per subjectionem,* ut ajunt, cum scilicet una Ecclesia tanquam inferior superiori subjicitur: haec autem conjunctio vix adhibetur in beneficiis, in Episcopatibus nullo modo; secundo *per aequalitatem*, quando nempe duae, aut plures Ecclesiae ita conjunguntur ut earum quaelibet ab uno eodemque Pastore regatur, salvis singularum Ecclesiarum juribus et privilegiis. Hujus unionis *per aequalitatem*, quae etiam *unio aeque principalis vocatur*, non pauca exempla in Episcopatibus habemus. Conjunguntur autem duo, aut plures Episcopatus, *quando*

non longo itineris spatio a se sejuncti sunt, nec tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant Sacerdotes, cap. 48. caus. 16. quaest. 1.; aut quando *hostilis impietas diversarum civitatum ita desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla, deficiente populo, remanserit*, c. 49. caus. 16, quaest. 1. Interdum etiam ad honorandam civitatem aliquam Episcopatus in ea constituitur, et si reditus Episcopali dignitati pares non suppetant, cum finitimo Episcopatu conjungitur, ut unus Episcopus utrique Dioecesi praesit.

Contra vero dividuntur Episcopatus, cum ex uno fiunt duo vel plures. Hujusmodi divisiones prohibentur. c. majoribus, et c. dilecto de Praebend. et Dignitat., ideoque Canonistae docent, beneficia non esse dividenda, ne ratione quidem divini cultus augendi, eo quod, ut ait Lotterius lib. 1. quaest. 28. n. 63. et 64. *haec sola causa non est sufficiens ad inducendam divisionem beneficiorum et praebendarum, et si aliter diceretur, sequeretur quod semper ex illa causa augmenti divini cultus esset locus divisioni beneficiorum contra jura praedicta. Augmentum hujusmodi cultus divini ad hunc effectum non habetur in consideratione ex numero beneficiorum, nisi ubi Ecclesia propter defectum beneficiatorum suis debitis officiis defraudaretur.* Quae quidem in Episcopatibus dividendis multo magis ante oculos habenda sunt, atque tenendum nullam eosdem dividendi legitimam causam esse praeter necessitatem, cum scilicet animarum saluti, quae suprema lex est, nulla alia ratione consuli, ac provideri possit. Hinc Levrenius in *Foro Beneficiali* part. 3. sect. 2. cap.

2. quaest. 961. quaerit *qua de causa et qualiter divisio Dioecesis cum erectione novae Cathedralis fieri et permitti possit*, et respondet, *dum ex Dioecesis amplitudine et itineris asperitate, nimiumque incommodum redditur Pastori oves statutis temporibus visitare, recognoscere, ipsisque ovibus pastorem adire, justam censeri causam faciendi divisionem Dioecesium, ait Card. de Luca in Miscellan. d.* 1. *n.* 115. *Attamen certa et determinata regula cuicumque casui applicabilis desuper statui non potest: plura siquidem quam dicta causa requisita ad id requiruntur, ea praesertim ut antiquae Ecclesiae dignitas non vilescat, ac etiam nova convenientem quoque dignitatem sortiri et conservare valeat.*

Hactenus de Episcopatuum erectione, deque eorum suppressione, conjunctione et divisione dictum est, et nobis quidem satis dixisse videmur, cum ea praesertim, quae in medium protulimus, adeo certa explorataque sint, ut a nullo Doctore catholico in controversiam vocentur. Sed quoniam potestate eorum omnium agendorum praeditam unam Ecclesiam esse affirmavimus, reliquum est, ut palam faciamus, quinam Ecclesiae nomine intelligendi sint, num Pontifices, num Patriarchae, num Metropolitae, num Concilia, num denique singuli Episcopi.

Huic quaestioni tum de facto, tum de jure respondebimus, eo vel magis quod alterum ab altero illustratur. Quod itaque ad factum attinet, operae pretium erit animadvertere, Ecclesiae disciplinam hac in re ter mutatam esse; alia enim fuit ab incunabulis Ecclesiae ad saeculum VI., alia ab hoc saeculo ad saeculum VIII., alia denique a saeculo VIII. ad nostra tempora.

Ab incunabulis Ecclesiae ad saeculum VI. *novi erigebantur Episcopatus a Synodis Provincialibus, consentiente Metropolitano, postulante Episcopo vel annuente, ad cujus Dioecesim pertinebat Ecclesia, in qua Sedes Episcopalis collocabatur. Id ex canone* 15. *Concilii Africani compertum est; et ex facto S. Augustini, qui Fussalensi Castello millibus quadraginta ab Hippone sejuncto Episcopum ordinari curavit a Primate Numidiae, Romano Pontifice inconsulto, ut constat ex ipsius Augustini Epistola* 261. Ita Natalis Alexander historiae ecclesiasticae saec. V. cap. 6. art. 2.

Cum vero in scholion 1. ejusdem articuli religiosi Censores notassent haec verba *Romano Pontifice inconsulto erigebantur Episcopatus*, respondit, *hanc disciplinam quinto saeculo viguisse probavi*: citato nempe canone Concilii Africani, tum facto S. Augustini, aliisque ab historia Ecclesiastica ductis argumentis. Quam quidem controversiam Constantinus Roncaglia in suis notis ad historiam Ecclesiasticam ejusdem Natalis Alexandri cum praeterire nollet, nec etiam deberet, non immerito amplexus est P. Thomassini sententiam, quam expressit hisce verbis: *Maxime ante sextum saeculum non semper accessisse Romani Pontificis expressum consensum in novorum Episcopatuum erectione, animadvertit Thomassinus de nov. et vet. Eccles. discipl. part.* 1 *lib. I. cap.* 54. *Liberum integrumque dixit fuisse Conciliis Generalibus, ac Metropolitis novos erigere Episcopatus, dummodo quas pro hac re Ecclesia leges instituerat, servarentur. Cum in iis servandis minus religiosi fuissent Antistites Africani,*

etiam in exiguis pagis Episcopos creando, illos monet S. Leo ep. 87. NON IN QUIBUSLIBET CASTELLIS EPISCOPOS ESSE CONSECRANDOS, *jussitque minutulos hujusmodi Episcopatus, cum deinceps vacarent, omnino supprimi.*

At vero in Ecclesia orientali erigendorum Episcopatuum tota cura atque sollicitudo concredita fuit Patriarchis Antiocheno, et Alexandrino, a quibus postquam Provinciae Ecclesiasticae illic constitutae fuerunt, ad Metropolitas et Concilia Provincialia dimanavit. In Ecclesia vero occidentali non solum a Metropolitis et Conciliis Provincialibus, verum etiam *bene multas Episcopales Sedes,* ait Thomassinus, *jam inde ab incunabulis Ecclesiae ab Antistitibus Romanis constitutas fuisse prolixe docui part.* 1. *lib. I. cap.* 14. *et part.* 2. *lib. I. cap.* 11. Praesertim vero in Provinciis ad professionem christianam traductis novi Episcopatus a Sede Apostolica, ejusve auctoritate erigebantur; quo spectat Innocentii I epistola ad Episcopum Eugubinum, ubi ait. *manifestum esse in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, et insulas interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, vel ejus Successores constituerunt Sacerdotes.* Et haec satis de quinque primis Ecclesiae saeculis dicta sint.

Saeculis vero VI. VII. et VIII. non amplius Metropolitis, et Conciliis Provincialibus integrum fuit, ut antehac, Episcopatus erigere, nisi simul auctoritas Romani Pontificis intercederet. *Pluribus autem ex causis,* ait Constantinus Roncaglia cit. loco, *Romani Pontificis auctoritas exigebatur. Et primo si novi erigendi erant Epi-*

scopatus iis in locis, ubi noviter fidei lumen illuxerat, cum nova haec Evangelii promulgatio fieri soleret, promovente ac mandante Romano Pontifice, non poterant viri Apostolici novis ovibus novos dare pastores, nisi idem consuleretur. Cumque pariter Ecclesiae aggregandae essent novae Provinciae, quo non se protendebat ceterorum Episcoporum auctoritas, ibi novas extollere Sedes illius tantum erat potestatis, quae nullis finibus coarctatur. Deinde quidquid peculiares Synodi decernebant non ita inconcussum firmumque erat, ut quandoque posteriores Synodi non infirmarent, vel Principes ipsi infectum vellent. Contra id vero quod prima Sedes statuerat, inferiores Sedes insurgere haud poterant, et Principes ipsi religioni ducebant infringere. Non raro etiam, dum novis Episcopis propriae Dioeceses erant assignandae, cum finitimis Episcopis de sibi usurpata conquerentibus jurisdictione lites poterant oriri, ad quas dirimendas nulla magis idonea potestas, quam Romani Pontificis. Illud demum in novis constituendis Ecclesiis poterat intercedere, quod necessaria foret aliqua Canonum dispensatio, ac proinde primam Sedem fuisse adeundam, cujus est, dum ita exposcant vel necessitas vel utilitas, Canonum rigorem emollescere.

Sed postquam Occidentis Imperium saeculo V extinctum est, Imperatores Orientis, aliique Summi Principes coeperunt in suis quisque Provinciis de Episcopatibus erigendis sollicitos se ostendere, ad eosque dotandos, tuendosque sese paratos exhibere. *Prima Justiniana,* ait Thomassinus de nov. et vet. Eccl. discipl. p. 1 lib. I. cap.

19, n. 2, *patria erat Justiniani, quaeque Acrida ante vocabatur, suberatque Archiepiscopo Thessalonicensi. Hanc urgente Imperatore Vigilius Papa in Archiepiscopatum, sive Exarchatum erexit, subjectis ei Provinciis, quae Thessalonicensi Exarchatui detractae sunt, et attributo ei Vicariatu Sedis Romanae, qualem jam olim habuerat Episcopus Thessalonicensis.* His itaque saeculis, atque etiam in omne posterum tempus, praecipua quoque Summorum Principum ratio in erectionem Episcopatuum habita est propter Ecclesiae utilitatem.

At exacto saeculo VIII. non quidem illico, nullaque interposita mora, sed sensim ac pedetentim Ecclesiae disciplina hac in re usque eo mutari coepit, ut tandem potestas erigendorum Episcopatuum ad solum Pontificem rediret. Praeclare Thomassinus de nov. et vet. Eccl. discipl. lib. I. part. 1. cap. 56. n. 14, *Longa*, ait, *temporis serie rerumque vicissitudine factum est ut constituendi Episcopatus novos potestas penes solum Romanum Pontificem esset. Non quod id sibi juris ipse reservaverit, ut imminuta Episcoporum jurisdictione augeret suam; sed quod aut negligentiores essent Episcopi alii in proferendis christianae Religionis finibus, aut quod id honoris primae Sedi haberent, aut quod Pontifici Principes confiderent magis, aut quod Petri Sedem frequentius populi adirent, aut quod zelo fidei magis arderet Pontifex. Nisi ita mavis, quod divino ita consilio provisum sit, ita haec omnia, dispensante spiritu illo ipso Christi, qui Ecclesiam formans, fingensque, et Caput illi praestituens, Capitique virtutem indens, legemque addens*

confirmandi cetera, et illustrissima quaeque sui corporis membra, jam inde ab incunabulis Ecclesiae praelusit praemonstravitque, quod illi augurandum esset de futuri per Capitis maxime sui vim et charitatem incrementis, quando Petri una et altera concione tam numerosa plebium multitudo christianae se causae et religioni adjunxit. His causis fieri potuit, ut ad Petri Successores tota haec rediret potestas, non ante eis legis ullius imperio reservata, quam usus et consuetudo plurium saeculorum propriam illis fecisset.

Sed jam eo loci pervenimus, quo oportet quaestionem juris instituere. Quaeritur itaque quo jure Summi Pontifices, Metropolitis, Conciliisque provincialibus amotis, erectiones Episcopatuum, suppressiones, divisionesque, et id genus alia sibi solis tribuerint? Dicendum est autem id jure optimo fecisse; namque communis Doctorum, certaque et explorata sententia est eam potestatem ad Summos Pontifices pertinere jure Primatus; idque perspicuum est ex divina Ecclesiae institutione; quod quidem argumentum admodum docte cumulateque tractat cl. Petrus Ballerini de Potest. Eccl. Cap. II. n. 5. hac forma: *Potestas illa illimitata in totum mundum Apostolis ab ipso Christo tradita, necessaria quidem fuit in illis initiis, ut sua citius aedificaretur Ecclesia, ac proinde omnes poterant ubique praedicare Evangelium, ubique Ecclesias particulares, et Episcopatus erigere, consecrare Episcopos, Presbyteros etc., et quaelibet alia Apostolatus officia exercere. At hoc jus immediatum in totum mundum, et in omnes Ecclesias ex peculiari necessitate ac utilitate illis*

initiis tributum, in aliis Apostolis extraordinarium fuit, quod bono ejusdem unitatis non debebat in Episcopos eorum successores transire; in Petro autem, cujus auctoritas ratione Primatus ob ipsius unitatis bonum debebat esse perpetua, et in Successores ejus propagari, ordinarium esse debuit, et in Successoribus ejusdem Romanis Pontificibus ordinarium debet agnosci. Cum vero extraordinaria aliorum Apostolorum potestas in universum mundum illis initiis necessaria, non deberet Episcopis ipsorum successoribus aequo jure competere, ne magna in Ecclesiis jam aedificatis confusio fieret, si, aeque ac Apostoli, omnes Episcopi omnia possent ubique, sed potius expediret diversas Dioeceses designare, et Episcopatus diversos erigere, ita ut singuli Episcopi suae cuique Dioecesi praeficerentur, gregique adsignato facilius prospicerent. Haec designatio Dioeceseon et subditorum, quam Christus non instituit, sed Apostolis, eorumque successoribus commisit, non est divini immutabilis juris, sed ecclesiastici, ut proinde ad disciplinam mutabilem pertinens, subest potissimum dispositioni Successorum S. Petri, qui cum ex eodem S. Petri primatu jus ordinarium habent in universam Ecclesiam; tum vero eodem ordinario jure uti possunt in Dioeceses singulas, aeque ac in illas Apostoli extraordinario jure uti poterant. Ex hac potestate in Dioeceses omnium Episcoporum, quae in solis Petri successoribus ex divini juris primatu est ordinaria, Romana Sedes potest, si expediat, Episcopatus aliquos supprimere, novos erigere, unum dividere in duos.

Id confirmatur auctoritate S. Bernardi ep. CXXXI:

Plenitudo potestatis, inquit, *super universas orbis Ecclesias singulari praerogativa Apostolicae Sedi donata est...... Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, et e converso, si necesse visum fuerit.* Et in cap. *Sicut* de exces. Praelat. haec habentur: *Sicut unire Episcopatus, atque potestati subjicere alienae ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est Ecclesiarum suae Dioecesis unio et subjectio earumdem.* Sed undenam dignoscitur uniones Episcopatuum, et subjectiones ad Summum Pontificem pertinere, Episcopum vero uniones et subjectiones Ecclesiarum suae Dioecesis tantummodo efficere posse? Id certe quidem dignoscitur, spectata utriusque potestate. Pontifex enim Episcopatus ubique erigit, unit, supprimit et dividit, quia ratione Primatus in Ecclesiam universam jurisdictionem obtinet, Episcopus autem solas unit suae Dioecesis Ecclesias, propterea quod ejus potestas finibus Dioecesis continetur. Ex quibus illud quoque perspicuum est, uniones Episcopatuum, subjectiones, et cetera id genus alia ad Summum Pontificem Primatus ergo pertinere.

Acta Cleri Gallicani in erectione Episcopatus Blesensis hoc prooemio, veluti totius rei fundamento et cardine nituntur, *Cum pro Ecclesiae bono et augmento Dioecesium divisio, et Ecclesiarum Cathedralium erectio ad Summum Pontificem, Sanctamque Sedem Apostolicam de jure pertinere dignoscatur:* (Memoires du Clergé tom. II col. 91).

Postrema verba ex superiori canone sumpta sunt, atque adeo ad Primatum referuntur.

Verum ne longus sim, postquam Thomassinus ex monumentis rerum Ecclesiasticarum diligenter exposuit, quemadmodum potestas erigendorum Episcopatuum per varios Ecclesiasticae jerarchiae gradus transivit, ac denique tota in uno Pontifice constitit part. 1. de nov. et vet. Eccl. discipl. lib. I. cap. 55. n. 15. scribit his verbis: *Diximus jam supra, simillima haec esse fluminum, quae post decursa ingentia spatia in mare redeunt, unde exiere.... Nihil igitur accessit ad Pontificem, cum solus totam eam potestatem exercere coepit; est ea propria et nativa Primatus, quem Pontifex in Ecclesiam universam ab ipso Christo accepit.* Quapropter solus ejus potestatis usus delegari potuit, ita quoque revocari. Praeclare Schelestratius Antiq. Eccles. tom. II. diss. 6. cap. 4. art. 1.: *aliud est usus juris, aliud jus ipsum per se alicui competens.*

Praeter citatos Auctores vide Innocentium I. ep. 25. ad Decent. Eugubin. n. 2. apud Coustant. epistol. Roman. Pontif. col. 856; Argiro discept. eccl. discept. 11., Barruel (du Pape, et de ses droits religieux tom. II. part. 4. cap. 4.), Febronium Abbreviatum tom. II. cap. 4. §. 9., Antifebronium vindicatum part. 3. dissert. 7. cap. 2. et 3.

§. 28.

DE JURE CREANDI EPISCOPOS

In primis ob oculos habenda est definitio Tridentinae Synodi sess. 23 cap. 8: *Si quis dixerit, Episcopos, qui*

auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit. Ex qua dogmatica definitione intelligimus, praestantissimum jus esse Romani Pontificis nullis aut loci aut temporis limitibus circumscriptum creandi ubique Episcopos, qui legitimi ac veri Episcopi sint, et haberi omnino debeant. Hinc doctissimus Hallier de sacris elect. p. III lib. I sess. 5 cap. 4 §. 1 num. 18 : *Certe,* inquit, *non dubitant catholici, quin, juxta definitionem Tridentini, Episcopi, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, sint veri et legitimi Episcopi.* Et art. 3 §. 6 num. 45 : *Certum est, Romanum Pontificem summam habere potestatem, ut per totum christianum orbem Episcopos constituat.*

Haec autem catholica veritas confirmatur atque illustratur can. 7 eadem sess. 23 : *Si quis dixerit, eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate* RITE ORDINATI, NEC MISSI SUNT, *sed aliunde veniunt, legitimos esse Verbi et Sacramentorum Ministros : anathema sit.* Igitur Episcopi non ex sola ordinatione legitimam exercendae auctoritatis Episcopalis facultatem consequuntur, secus vel ipsi schismatici ea potestate legitime uterentur ; sed insuper legitima MISSIO necessaria est, per quam jurisdictionem obtineant, riteque exerceant. Erit itaque in Ecclesia potestas aliqua, quae missionis tribuendae jus habeat : non enim Christus satis Ecclesiae suae consuluisset, si, imposita necessitate missionis, potestatem non designasset, a-qua missio petenda et obtinenda esset. Atqui ea potestas solius Romani Pontificis propria est, idque ex jure divino, quod multis rationibus comprobatur. Enimvero potestas creandorum Episco-

porum ad Romanos Pontifices pertinet eodem jure, quo ad S. Petrum, ceterosque Apostolos pertinuit, propterea quod Romanus Pontifex est S. Petri Successor, totiusque Apostolicae potestatis haeres; atqui ea potestas ad S. Petrum et Apostolos pertinuit jure divino, scilicet ex ipsius Christi institutione, ergo eodem jure ad Romanum Pontificem pertinet.

Praeterea in omni bene ordinata societate munus constituendi Magistratus, qui Provincias administrent, ad eum pertinent, qui toti Communitati praeest; atqui ex divina institutione toti Ecclesiae Romanus Pontifex praeest; ergo institutio Episcoporum, qui singulas Dioeceses administrent, ad Romanum Pontificem pertinet, qui, ut verbis utar Concilii Tridentini sess. 24 cap. 1 *muneris sui officio debet idoneos Pastores singulis Ecclesiis praeficere.*

Et ea quidem potestas propria est unius Romani Pontificis, quippe qui unus Petri Successor, et totius Apostolicae potestatis haeres, eique uni *pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Jesu Christo D. N. plena potestas tradita fuit.*

Sed ajunt olim Patriarchas, Primates, et Metropolitas ea potestate usos esse. Ita quidem. Verum undenam ejus potestatis usus ad eos pervenit? Certe quidem non a Deo; enimvero ex divina institutione Episcopi omnes sunt pares inter se ordine et potestate, idque exploratissimum est. A quonam igitur Patriarchae, Primates, et Metropolitae eam potestatem acceperunt? Ab Apostolica Sede, a qua una ejus potestatis usus concedi potuit, ideo quod in ea una ex divina institutione et jus creandorum Episcopo-

rum, et plenitudo ecclesiasticae potestatis residet, et cui Episcopi omnes debent esse obsequentes. Et revera ex Cathedra Petri profecta est ea dignitatis potestatisque praerogativa, qua primum illae sedes auctae fuerunt, quae deinde Patriarchales appellatae sunt, ejusdemque potestatis praerogativa, labentibus annis, certo cum discrimine graduum ad Metropolitas permanavit, ut divisis jam Provinciis ecclesiastica negotia facilius et commodius expedirent.

Hinc Patriarchae, Primates, et Metropolitae in constituendis Episcopis non erant omnino liberi, sed in ejus potestatis usu formam ab eadem Apostolica Sede praescriptam, vel probatam sequi, accurateque servare debebant. Quapropter Romani Pontifices potestate sua usi sunt *primo*, ut ait Nat. Alex. His. Eccles. saec. IX et X cap. 5 art. 3 n. 3 et 4, *cum jure suo Metropolitanus abusus erat, confirmando contra canones. Secundo cum dispensatione opus erat, quae a solo Pontifice Romano, qui unus per totum orbem de canonibus dispensare potest, concedi posset. Tertio cum Metropolitanus officio suo non fungebatur.*

Praeterea Romani Pontifices institutionem Episcoporum, ubi et quando id optimum factu rati sunt, sibi penitus *reservarunt*: qua in re, quoniam jure suo usi sunt, nemini injuriam fecerunt. Namque Patriarchae, Primates, et Metropolitae jus creandorum Episcoporum, sive ejus potestatis usum Apostolicae Sedi divinitus datum, neque possessione, neque praescriptione, neque consuetudine, neque ulla institutione humana sibi acquirere, neque Romani Pontifices eodem se abdicare potuerunt, quia jus divinum nullo hominum facto et institutione abrogari, immutari, inverti potest.

Ex quibus, ut rem concludam non meis, sed hisce Hallieri verbis de sacr. elect. et ordinat. part. 3 art. 3 §. 6 num. 55, *duo ista Summis Pontificibus competere colligimus, Episcoporum ubique terrarum creandorum curam et potestatem, qua si aliquando usi non fuerint, moderationi eorum ac prudentiae tribuendum, utpote qui melius ac commodius per alios a se constitutos Patriarchas, Primates, Metropolitanos, ordinationem aut delectum fieri posse censuerint, quam per se ipsos. Si quando autem uti voluerint, et expedire judicaverint, nemo quaerere possit, qua auctoritate id faciant, cum auctoritate Petri id facturi deprehendantur..... Haec est ea, quam toties inculcavimus, Romanae Ecclesiae praerogativa, ut ordinationibus firmitatem auctoritatemque ob Principatum ecclesiasticum conciliet nec absque ejus communicatione plenitudinem officii, ut loquitur Bernardus, seu executionem legitimam aliquis consequatur. Haec Apostolicae Cathedrae praerogativa est; haec Primatus dignitas; hoc non novum, sed ipsius Ecclesiae constitutioni coaevum, quod semper viguit, privilegium.*

Initio Clemens V Sedi Apostolicae reservavit Ecclesias, quarum Episcopi in Romana Curia decedunt *Extrav. Etsi in temporal. de Praeb. inter communes,* Benedictus XII alias reservationes fecit *Extrav. Ad regimen eodem tit.* Denique per Regulas Cancellariae collatio omnium Ecclesiarum Cathedralium Summo Pontifici reservata fuit. Quae quidem reservationes factae sunt ad avertenda complurima mala, quae ex ambitione hominum, ex studiis partium, ex populi factionibus oriebantur. Vide Thomassinum de veter. et nov. Eccles. discipl. tom. 2 lib. 2 cap. 33 n. 5.

§. 29.

DE TRANSLATIONE CESSIONE SEU RENUNCIATIONE ET DEPOSITIONE EPISCOPORUM

Innocentius III cap. 2 de translatione Episcoporum sic loquitur: *Cum fortius sit spirituale vinculum, quam carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum et Ecclesiam, suo tantum judicio reservaverit dissolvendum. Non humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Jesu Christi) Episcopus ab Ecclesia removetur; et ideo tria haec, quae praemisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata.* Enimvero cum unus Pontifex vi Primatus, seu institutione divina, potestatem habeat Episcopos instituendi, illud plane consequitur, quod ipsi uni institutione divina jus sit transferendi Episcopos: qui enim transfertur, is alterius Ecclesiae Episcopus constituitur; institutiones autem Episcoporum ad Romanum Pontificem divino jure spectare jam diximus. Praeterea unus Pontifex spirituale vinculum solvit, quo Episcopus cum priori Ecclesia conjungebatur, tum quia ex regula juris *res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur,* tum praesertim quia spirituale conjugium inter Episcopum et Ecclesiam non humana, ut ait Innocentius, potestate dissolvitur, sed potestate divina, hoc est potestate adnexa

Primatui, qui divinitus cum ampla illa in totam Ecclesiam auctoritate institutus est. Quamvis vero priscis temporibus Episcoporum translationes ex indulgentia Sanctae Sedis a Conciliis provincialibus factae fuerint, progressu tamen temporis, unde ex quadam indulgentia permanaverant, eodem ob Ecclesiae utilitatem revocatae sunt.

Sed jam de cessione seu renunciatione dicendum est. Cuilibet licet Magistratu ecclesiastico se abdicare, et etiam Pontificatu Maximo, quod S. Caelestinus *Cardinalium omnium concordi consilio et assensu auctoritate apostolica* statuit et decrevit, idque suo exemplo comprobavit. Quod decretum *inter Constitutiones alias ad perpetuam rei memoriam de fratrum suorum consilio duxit redigendum* Bonifacius VIII, ut patet ex cap. quoniam 1 de renunc. in 6. Qua de re vide Martinum Bonacinam *de legitima Pontificis electione* disp. 1 quaest. 1 punct. 1 num. 22, Azorium *Institut. Moral.* part. 2 lib. 4 cap. 6, et Christianum Lupum *in secunda Prooemiali dissertatione de Simoniae crimine et variis ad ipsum spectantibus* cap. 2 part. 4, ubi existimat Caelestinum V non primum fuisse Pontificum, qui se Pontificatu Maximo abdicarunt.

Verum his praetermissis, nemini fas est auctoritate propria ecclesiasticum Magistratum deponere, si Romanum Pontificem excipias, qui supra se ex hominibus habet neminem. Itaque Episcopi, de quibus praesertim agimus, quasi spiritualis adulterii reos se faciunt, si propriam Ecclesiam deserant sine venia Pontificis : namque abdicatio Episcopatus fieri debet ex legitima causa Apostolicae

Sedi probata, et spirituale vinculum, quo Episcopi Ecclesiae suae obligantur, ab eadem Apostolica Sede laxandum est.

Quod vero ad jus deponendi attinet: *Perentoriam dare sententiam*, iniquit S. Bernardus epist. 239 ad Eugenium, *ad depositionem Episcoporum, solius Romani Pontificis noscitur esse.* Itaque a primis usque saeculis eo jure Romani Pontifices usi sunt. Agapetus Anthimum Compatriarcham Constantinopolitanum deposuit, et Mennam in ejus locum Episcopum consecravit. Quapropter Natalis Alexander Hist. Ecclesiast. saec. VI c. 2 art. 7: *Primatum*, inquit, *gloriosius exercere non potuit Romanus Pontifex, quam Constantinopolitanum Patriarcham haereticum exauctorando, et in ejus locum alium ordinando, idque nulla Synodo convocata.* Sic etiam Legati S. Leonis in Concilio Chalcedonensi dixerunt: *Sanctissimus et Beatissimus Papa, caput universalis Ecclesiae, Leo per nos vicarios suos Petri Apostoli praeditus dignitate, episcopali eum* (Dioscorum) *dignitate nudavit* (Apud Mansi tom. X Conciliorum). Et Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 1 de reform. decrevit, Episcopos in suis Ecclesiis non residentes Romano Pontifici denunciandos esse, *qui in ipsos absentes, prout cujusque major aut minor contumacia exegerit, suae supremae Sedis auctoritate animadvertere, et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.*

In Canonicatibus etiam, et Parochiis, ceterisque Beneficiis locum habent translationes, renunciationes, et resignationes, itemque depositiones, et degradationes, de quibus late disserunt Scriptores Juris ecclesiastici privati *in tractatu de Beneficiis.*

§. 30

DE JURE EPISCOPOS VEL INVITOS DESTITUENDI

In primis quaeritur, an Episcopus sine suo vitio aut culpa debeat interdum sese Episcopatu abdicare. Jam vero ex christianae caritatis praecepto, et ex ipsa naturali ratione edocemur, bonum publicum potius habendum esse privato bono. Nemo autem dubitat, quin Ecclesiae et animarum salus sit privata Episcopi utilitate, et temporali ipsius honore longe majus bonum, et maxime expetendum. Igitur si ejusmodi sint rerum ac temporum rationes, ut Ecclesiae et animarum salus periclitetur, nisi Episcopus loco cesserit, sive quod ipse omnino nequeat suae plebi prospicere, sive quod mala plebs ipsum oderit, penitusque deserat, neque ulla reliqua sit spes illius mali avertendi, tunc quidem Episcopus debet Episcopatum sponte dimittere, ac profiteri, non sibi, sed animarum saluti se natum ordinatumque Episcopum fuisse. Praeclare ad rem nostram Augustinus in lib. de gestis cum Emerito num. 5 et seqq.: *Quid enim dubitemus Redemptori nostro sacrificium istius humilitatis offerre? An vero ille de Caelis in humana membra descendit, ut membra ejus essemus, et nos, ne ipsa ejus membra crudeli divisione lanientur, descendere de Cathedris formidamus? Episcopi propter christianos populos ordinamur. Quod ergo christianis populis ad christianam pacem prodest, hoc de nostro Episcopatu faciamus.* Hujus rei illustre exemplum reliquit S. Gregorius Nazianzenus, qui studio pacis Episcopatu Constantinopolitano se sponte abdicavit.

Sed quid juris erit, si Episcopus expers omnis culpae Episcopatum dimittere renuat? Poteritne Pontifex ipsum vel invitum destituere? Abbas in cap. *Sua nobis* de confirmat. utili vel inutili, Fagnanus in cap. 4 de translat. §. 61, Pirrhing de transl. §. 2 num. 13 nihil omnino dubitant, quin Pontifex OB GRAVISSIMAM, ET PRAESERTIM OB PUBLICAM CAUSAM id possit, idemque sentit Gersonius ipse, qui de Statibus Ecclesiae consideratione III haec habet: *Status praelationis episcopalis habuit in Apostolis, et Successoribus usum et exercitium suae potestatis sub Papa Petro et Successoribus ejus, tamquam sub habente, vel habentibus plenitudinem fontalem episcopalis auctoritatis; unde quoad talia minores Praelati, scilicet Curati subsunt Episcopis, a quibus usus suae potestatis quandoque limitatur et arcetur, et sic a Papa posse fieri circa Praelatos majores ex certis et rationabilibus causis non est ambigendum.* Et deinde cons. 4: *Status episcopalis non ita Statui Papali subest, quod illum possit Papa annullare, sicut nec Status Papalis potest humanitus destrui; nihilominus idem Status episcopalis quoad acquisitionem isti personae, et quoad sui exercitium subest rationabili Papae voluntati ad utilitatem Ecclesiae.*

Et re quidem vera certum apud omnes catholicos exploratumque est, Pontificem divino jure nihil non posse, quod ad Ecclesiae unitatem vel servandam, vel restituendam conducat. Pontifex itaque ob animarum pericula, vel seditiones, aliaque mala propulsanda, quae aliter vitari nequeant, summa potestate praeditus erit Episcopos vel invitos destituendi. Celebre est dictum

S. Hieronymi in dialogo contra Luciferianos num. 9: *Ecclesiae salus in Summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam, et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes.*

Sed illud poterit injustum aliquibus videri, quod poena afficiatur Episcopus, qui non deliquit. Praeclare. S. Thomas 2 2 quaest. 108 art. 4: *Poena,* inquit, *dupliciter potest considerari. Uno modo secundum rationem poenae, et secundum hoc poena non debetur nisi peccato, quia per poenam reparatur aequalitas justitiae, in quantum ille, qui peccando nimis secutus est suam voluntatem, aliquid contra suam voluntatem patitur. Alio modo potest considerari poena, in quantum est medicina non solum sanativa peccati praeteriti, sed etiam praeservativa a peccato futuro, vel etiam promotiva in aliquod bonum. Et secundum hoc aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine causa.* Doctrinae Divi Thomae mirifice consentit regula 23 de R. J. in 6, hoc est: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Ergo si causa subsit, aliquis etiam sine culpa puniri poterit. Itaque si id Ecclesiae necessitas exposcat, Episcopus conqueri jure nequit, quod Episcopatu privetur: causa enim Ecclesiae temporali ipsius Episcopi utilitati longe multumque praestat.

At vero Episcopum destitutum compensatione aliqua leniendum esse libenter sentimus cum De Petra tom. 1 comm. in constit. 2 Leonis IX num. 39, ubi ait: *Aliquod discrimen est in casu renunciationis ob culpam*

propriam, et illius, quae fit ob culpam plebis, vel ex causa intrinseca justa. Secundo enim casu debet dari compensatio aequalis, vel debet assignari congrua, habito respectu ad Ecclesiam, quam dimittit, et ad qualitatem dimittentis. Grotius ipse, postquam supremo Principi potestatem tribuit subditos ob publicae necessitatis aut utilitatis causas quaesito jure, vel munere privandi, compensationem, si fieri tamen possit, dandam esse aestimavit. En ipsius verba de jure belli et pacis lib. II cap. 14 §. 7: *Sed hoc quoque sciendum est, posse subditis jus etiam quaesitum auferri per Regem duplici modo, aut in poenam, aut ex vi supereminentis dominii. Sed ut id fiat ex vi supereminentis dominii, primo requiritur utilitas publica, deinde ut, si fieri potest, compensatio fiat ei, qui suum amisit ex communi.*

Harum destitutionum exempla cum alias, tum nostra praesertim aetate in Gallia habuimus totius Ecclesiae consensione roborata.

§. 31.

DE JURE DANDI COADJUTORES

Interdum contingit, ut Episcopus aut senio, aut mala valetudine affectus, non solum ad obeunda ministeria Ordinis, verum etiam ad regimen et administrationem gerendam Dioecesis impotens evadat. Impotentem vero Episcopum, nisi sponte Episcopatum dimittat, vel invitum cogere ad illum dimittendum inhumanum prorsus videtur; nam *afflicto non est addenda afflictio, sed ipsius mise-*

riae miserendum, ut loquitur Innocentius III cap. 5 de Clerico aegrotante. Tunc itaque Coadjutor dandus est, cujus opera et consilio Dioecesis recte administretur. Sunt autem Coadjutores duplicis generis: alii enim constituuntur ad tempus, quoad scilicet Episcopus vixerit, aut convaluerit: alii vero sunt Coadjutores perpetui, qui cum jure successionis constituuntur; adeoque mortuo Episcopo in ejus locum succedunt.

Hoc loco monendum est, in Ecclesiis nimis ab Urbe dissitis Episcopos, qui ob aetatem, valetudinem, aliamque causam ope aliorum indigent, posse unum, vel plures sibi Coadjutores cum assensu Capituli ad tempus constituere. Si vero Episcopus sibi prospicere nequeat, fortasse quod compos sui non sit, tum eidem per ejus Capitulum, aut duas Capituli partes, unus aut alter Coadjutor recte datur, et si Episcopus contradicat, tota res Apostolicae Sedi aperienda est, ut Ecclesiae necessitati provideatur.

At vero de Coadjutoribus cum futura successione constituendis a Concilio Tridentino cap. 7 sess. 25 de reformat. sancitum est: *Si quando Ecclesiae cathedralis, aut monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet Praelato dari Coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a Summo Romano Pontifice sit cognita.* Itaque Coadjutor haereditarius rite recteque non constituitur, nisi Summi Pontificis auctoritate; tum quia constitutio Coadjutoris cum futura successione inter causas majores refertur (cap. unico de Cleric. aegrot. in 6); tum quia constitutio hujusmodi Coadjutoris est novi Episcopi institutio, quando-

quidem Coadjutor sine nova collatione in Episcopatum vacantem succedit: institutiones autem Episcoporum ad Romanum Pontificem divino jure pertinere supra demonstratum est.

Vide Interpretes Decretalium *in cap.* 3 *tit.* 6 *De Clerico aegrotante, vel debilitato,* Thomassinum *lib.* 2 *part.* 2 *cap.* 55 *et seqq.,* Barbosam *Jur. Eccles. univers. lib.* 3 *c.* 10, et Pignatellum *tom.* 4 *cas. ult. Consultat.* 137.

§. 32.

DE JURE FERENDI CENSURAS

Excommunicationis gladius, ait Concilium Triden. sess. 25. cap. 3. de reform; *nervus est Ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris.* Namque ut ait Cyprianus ep. 62. *hoc gladio superbi et contumaces necantur, cum de Ecclesia ejiciuntur.* Jam vero non modo Cathari et Albanenses, Wicleffus, Hussius, aliique haeretici, sed aliqui Scriptores etiam, qui catholici haberi volunt, omni studio conati sunt hujusmodi gladium e manibus Sacrorum Antistitum auferre, aut ita ejus aciem retundere, ut amplius feriendo par non esset. Horum errores modeste refutabimus.

Itaque Excommunicatio bifariam dividitur. Una est excommunicatio ita dicta, quia communicationi, seu communioni opponitur, et definitur *communionis negatio.* Ecclesiae enim inter se communicabant tum per litteras *communicatorias,* quae etiam *canonicae* et *formatae* dicebantur,

invicem datas et acceptas, tum per benignam in communionem et synaxim admissionem eorum, qui ab una ad aliam Ecclesiam veniebant. Itaque propter haeresim, aut aliud grave crimen interdum factum est, ut una Ecclesia segregaret sese a communione alterius Ecclesiae, eamque veluti excommunicaret. Verum hujusmodi excommunicatio non erat actus auctoritatis et jurisdictionis ecclesiasticae; namque eum possumus in communionem non recipere, in quem nullam jurisdictionem potestatemque habemus. Ita S. Epiphanius Salaminae Episcopus Joanni Episcopo Hierosolymitano, neutiquam sibi subdito, communionem denegavit, eo quod compertum habuisset, eumdem Origenis dogmata erroresque defendere.

Alia vero proprie dicta Excommunicatio, quae etiam *major* et *anathema* dicitur, in potestate Clavium fundata est, per quam graviorum criminum rei a communione Ecclesiae, et totius populi christiani tanquam membra contaminata et putrida abscinduntur. Anathema vero ab excommunicatione non differt, nisi propter solemnitates, quae in eo ferendo adhibentur; de quibus vide Pontificale Romanum titulo *de Ordine excommunicandi.*

Potestas vero ferendi excommunicationem majorem, sive anathema ad Ecclesiae Praepositos pertinet, ut ea poena animadvertere in eos possint qui gravius delinquunt: quemadmodum enim ad continendos in officio homines unicuique reipublicae jus est expellendi sontes a societate sua, sic etiam Ecclesiae, utpote perfectae Reipublicae, eamdem potestatem esse pro certo habendum est. Verum hujusmodi potestas ex alio nobiliori fonte in Rectores Ecclesiae manavit.

Apostolus Paulus 1. ad Corinth. c. 5. dum incestuosum Corinthium excommunicavit, his verbis usus est: *Ego judicavi ut praesens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini Nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Nostri Jesu Christi tradere hujusmodi Sathanae* etc. Igitur sententia excommunicationis pronunciatur a Paulo *in nomine et in virtute Domini Nostri Jesu Christi*, hoc est potestate ab ipso Christo accepta. Quam quidem potestatem Christus Ecclesiae dedit, cum ligandi solvendique potestatem Petro et Apostolis impertitus est, eamque plane significavit, cum jussit eum, *qui Ecclesiam non audiret, tanquam ethnicum et publicanum haberi.* Quid enim aliud est aliquem tanquam Ethnicum et Publicanum habere, nisi eum ab Ecclesia, sacrisque omnibus repellere? Et quid aliud est aliquem ab Ecclesia sacrisque repellere, nisi eum excommunicare? Igitur, ex illis Christi verbis, facta Antistitibus Ecclesiae potestas est Christianos graviter peccantes contumacesque excommunicandi. Praeterea hanc excommunicandi potestatem a Christo Ecclesiae traditam fuisse perspicuum est ex perpetua ipsius Ecclesiae traditione, scriptis Sanctorum Patrum, decretis Pontificum et Conciliorum canonibus evidenter confirmata; eaque potestate usae sunt antiquae Synodi, Nicaena adversus Arium, Ephesina adversus Nestorium, aliaeque passim. Quemadmodum itaque homo per baptismum fit membrum Ecclesiae, in qua est bonorum omnium spiritualium communicatio, ita per excommunicationem ab Ecclesia ejicitur, atque adeo Sacramentis, sacrificiis, suffragiis, sacris officiis, pietate ec-

clesiastica, uno verbo, juribus omnibus privatur, quae per baptismum adquisiverat.

Atque hi sunt ex jure divino excommunicationis effectus; proindeque haec Lutheri propositio, *Excommunicationes sunt tantum poenae externae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus* a Leone X, merito ac jure damnata fuit. Cujus magistri doctrinam praesertim Jansenistae sequuti sunt, atque adeo in Pistoriensem Synodum, quae Jansenistarum erroribus a primo capite usque ad extremum referta est, eadem propositio verbis fere totidem translata fuit, nempe *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriori communicatione Ecclesiae*: quae quidem propositio a constitutione dogmatica *Auctorem fidei* reprobata fuit his notis et censuris appositis, *falsa, perniciosa, in articulo* 23. *Lutheri damnata, ad minus erronea.* Hac de re Estius in libri quarti sententiarum distinctionem decimam octavam ita scribit: *Erat haec Lutheri ratio; per fidem, spem et charitatem, reliquasque virtutes, quae bona sunt spiritualia, homo efficitur membrum Ecclesiae. Ea vero bona non possunt ulla Ecclesiae potestate auferri, sed deperduntur propria cujusque voluntate. Non igitur excommunicatio spoliat hominem bonis spiritualibus.* At vero idem Estius praeclare animadvertit, *alia esse bona spiritualia, in quibus substantia vitae spiritualis consistit, uti fides, spes, charitas, et reliquae virtutes, et virtutum opera; alia vero esse accidentalia, quibus scilicet homo ad priora illa bona adipiscenda adjuvatur; talia sunt*

aliena merita, orationes, suffragia, quibus etiam Sacramenta connumerantur. Quibus praepositis concludit, *prioris quidem generis bona, cum sint hominis interna, et ab ejus voluntate dependeant, non posse per ecclesiasticam potestatem ab homine auferri; posterioris autem generis bona posse auferri statim ac a corpore, in quo talia bona communicantur, aliquis excluditur; quemadmodum et in aliis Communitatibus contingit, cum qui excluditur a Communitate, simul excludi, atque excidere a privilegiis et commodis ejusdem societatis.*

At vero praeter dictos excommunicationis effectus ex jure divino manantes, Apostoli, quamcumque societatem, communicationem, commercium etiam civile cum excommunicatis interdixerunt ep. 2 Joan. v. 10 et 11, Pauli ad Titum cap. 3 v. 10, idque ad avertenda perversionis pericula, ne scilicet Catholicorum animi erroribus, pravisque excommunicatorum opinionibus inficerentur. Verum hujusmodi lex in nova disciplina aliquantulum relaxata fuit; namque per canonem Concilii Constantiensis a Martino V approbatum qui incipit AD EVITANDA, *quique,* ut ait Bendictus XIV. de Synod. Dioec. lib. VI cap. 5., *in suo robore permansit, non obstantibus contrariis subsequentibus Constitutionibus Conciliorum Basileensis et Lateranensis,* ii tantummodo excommunicati vitandi sunt, in quos excommunicationis sententia *a judice pronunciata, et insuper publicata, vel denunciata specialiter et expresse fuit,* itemque ii qui in Clericum violentas manus injecerunt, quos etiam a judice non denunciatos vitare debemus. Atque hinc ortum discrimen est inter excom-

municatos *vitandos*, et non *vitandos*. Igitur cum iis excommunicatis, qui per judicis sententiam nominatim et publice denunciati fuerunt, aeque ac cum publicis Clericorum percussoribus minime licet ullam sive in sacris, sive in civilibus rebus communionem habere. Et quidem quod pertinet ad res sacras et divinas, omnis cum iisdem communicatio semper et quibuscumque sine ulla exceptione vetita est; commercium vero civile interdum permittitur quibusdam certis gravibusque de causis, quae enumerantur hoc trito versiculo

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse

Prima itaque causa excusans est *Utile*, hoc est utilitas animae vel corporis omnino gravis; 2. *Lex* nempe conjugii, propter quam conjux cum conjuge conversari potest: 3. *Humile* scilicet debitum subjectionis ex. gr. filiorum erga parentes, Clericorum erga proprios Antistites, militum erga duces: 4. est *Res ignorata* videlicet *juris* vel *facti:* 5. denique *Necesse*, nempe gravis aliqua necessitas. Qui vero sine ulla ex hisce causis cum excommunicato vitando communicat, is excommunicationem *minorem* contrahit, per quam a Sacramentis suscipiendis, obtinendisque beneficiis arcetur. Atque hoc unum est, in quo si quis deliquerit, excommunicatione *minori* irretitur; nam reliqua delicta omnia quotiescumque a jure vel ab homine excommunicatione multantur, semper tenendum est, excommunicationis vocabulo intelligi excommunicationem *majorem*, eam nempe, de qua supra diximus et dicendum est adhuc. Ceterum excommunicatio minor a quolibet Sacerdote ad excipiendas confessiones approbato

tolli potest, et Clericus ea irretitus non fit irregularis, si in ordine ministraverit.

Cum excommunicatis vero *toleratis*, seu *non vitandis* ex. gr. cum haereticis, schismaticis, aliisque excommunicatis, qui expresse et nominatim a judice denunciati non sunt, communicare licet in rebus civilibus, caute tamen prudenterque, ne ex eorum consortio, eorum quoque erroribus imbuamur. Verumtamen non defuerunt Theologi, qui in certis rerum eventibus *ab omni culpa*, ut ait Benedictus XIV. de Synod. Dioec. lib VI. cap. 5. et seqq. *absolvunt catholicos, qui cum haereticis et schismaticis nominatim non denunciatis communicant in divinis, atque etiam Sacramenta ab iisdem recipiunt.* De qua communicatione in divinis multa erudite lateque disserit laudatus Pontifex cit. loco.

Ceterum excommunicatio major cum poenarum ecclesiasticarum gravissima sit, non debet nisi ob magnum crimen infligi; namque *gladius excommunicationis sobrie, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem,* Concil. Triden. sess. 25. cap. 3. de reformat. Quae quidem verba, immo vero totum illud caput non cursim raptimque legendum, sed perlegendum, intentaque mente considerandum omnibus est, et praesertim in ferendis excommunicationibus, quae dicuntur *ab homine*, non *a jure*, quando nempe homo potestate praeditus, ex. gr. Episcopus ob factum vel crimen aliquod, de quo nihil in jure statutum est, excommunicationis

poenam intentat. Magnopere enim cavendum est, ne sine admodum gravi et urgenti causa, sine idoneis et legitimis probationibus, sine monitionibus, aut non servata forma judiciali quemquam excommunicatione percellat.

Quod vero pertinet ad excommunicationes, quae sunt a jure, videndum est utrum canones, sive leges Ecclesiasticae ad quaedam coercenda graviora crimina excommunicationem comminentur, an vero inferant. Lex excommunicationem comminatur, dum his, vel similibus verbis utitur: *excommunicetur, ab ingressu Ecclesiae arceatur sub poena excommunicationis, sub interminatione anathematis*, quibus verbis excommunicatio non fertur, sed ferenda decernitur, et proinde excommunicatio *ferendae sententiae* nominatur. Si vero lex hasce vel id genus alias verborum formulas adhibeat, *excommunicamus ipso jure, ipso facto, sub poena excommunicationis statim, illico incurrendae, excommunicationi ipso facto subjaceat*, perspicuum est, excommunicationem ab ipsa lege inferri, ideoque dicitur excommunicatio *latae sententiae*. Dum ex verbis, quibus lex utitur, non satis intelligitur, utrum excommunicatio sit *ferendae, an latae sententiae*, censenda est *ferendae*, quia *in poenis benignior est interpretatio facienda* ex reg. 45. in 6.

Luculentissimum habemus utriusque excommunicationis exemplum in Concilio Antiocheno anno 341., namque canone 1. ita statuitur: *Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti et magni Concilii, quod apud Nicaeam congregatum est de salutifera solemnitate sacratissimi Paschae excommunicandos et de Ecclesia pellendos esse*

censemus. En excommunicatio ferendae sententiae. *Si quis autem eorum,* prosequitur canon, *qui praeesse noscuntur Ecclesiae, aut Episcopus, aut Praesbyter, aut Diaconus post hanc definitionem tentaverit ad subversionem populorum, Ecclesiarumque perturbationem seorsum colligere, et cum Judaeis pascham celebrare, S. Synodus alienum jam hinc ab Ecclesia judicavit.* En excommunicatio latae sententiae.

Verum de utraque excommunicatione seorsum aliqua dicenda sunt. Itaque excommunicatio *ferendae sententiae* praemissis monitionibus et probationibus, et audito reo infligenda est. Concilium Lugdunense, quod Gregorio X. Pontifice habitum est, judicibus permiserat aut tres monitiones adhibere, aut unam pro tribus; sed Tridentina Synodus cit. loco duas saltem praemittendas decrevit. De hac excommunicatione quaestiones alicujus momenti nullae sunt.

Sed excommunicationes *latae sententiae* variae a nonnullis Scriptoribus exagitantur. Eas Van-Espenius Jur. eccl. univers. part. 3. tit. 11. cap. 6. novitatis insimulat, atque autumat ad recentioris aetatis disciplinam pertinere, ac saeculo XII, aut ad summum XI in Ecclesiam invectas esse. Contra hanc opinionem praeter canonem 1. Concilii Antiocheni supra relatum apertissime faciunt Concilii Laodicensis canon 29., *Qui reperti fuerint judaizare anathema sint in Christo*, Synodi Gangrensis viginti canones, quorum singuli concluduntur his verbis, *anathema sit*, Concilii Eliberitani canones 1. 2. 3., canon 8. Concilii Turonensis I, pluraque alia antiquitatis

monumenta; verum non est operae pretium in re adeo explorata diutius immorari.

Hisce vero excommunicationibus valde infensus fuit Godscalchus Rosemundus Theologus Lovaniensis, qui eas censuit plus noxias esse, quam utiles, proindeque prorsus tollendas; in suo *Confessionali* cap. 20. ita scribit: *Expediens esset, ut omnes excommunicationes latae sententiae in Jure vel Statutis contentae, quarum usus nullus est, aut plus obest, quam prodest, expressa revocatione cassarentur in Provinciis et Dioecesibus, et in Ecclesia universa.* Quapropter Benedictus XIV. de Synod. Dioec. lib. X cap. 1., antiquissimi earumdem excommunicationum, et constantis in Ecclesia usus ratione habita, *haec Godscalchi assertio*, inquit, *qua parte omnes excommunicationes latae sententiae tanquam perniciosas deleri et abrogari vellet, audax est, communem enim Ecclesiae usum condemnat et Concilia, Summos Pontifices, omnesque Ecclesiarum Praesules tacite carpit.* Sed non minus, immo vero multo etiam magis audax Pistoriensis Synodus extitit, quae non dubitavit asserere, *necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas* IPSO FACTO *non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu.* Cui propositioni per Constitutionem dogmaticam *Auctorem fidei* haec nota inusta fuit: *Falsa, temeraria, perniciosa Ecclesiae potestati, injuriosa, erronea.* Excommunicationes vero latae sententiae injustas omnique effectu carentes ea Synodus notavit, quia pro

certo posuit (utrum ex ignorantia, an vero ex malitia, Dei sit judicium) per illas excommunicationes homines non monitos, non auditos, non reos legitime probatos e numero christianorum segregari, atque extra Ecclesiam ejici. Id est falsissimum. Namque admonitio canonica est promulgatio legis, quae aliquid fieri jubet aut vetat, indicta poena in eos, qui contra fecerint, excommunicationis latae sententiae, et ipsa lex est veluti loco perpetuae monitionis, cum omnibus objecta sit. Qui ergo legem frangit, qua scit excommunicationem illico et ipso facto irrogari in eos, qui non obtemperaverint, is profecto suam contumaciam, et Ecclesiae contemptum satis aperte declarat, et quantum ad forum internum pertinet, et coram Deo excommunicatione irretitur; sed in foro externo, et coram hominibus non est habendus excommunicatus, nisi per judicis sententiam reus criminis legitime probetur. Gerson in tract. de vita spirit. anim. lect. 4. corollar. 14. praeclare observat, excommunicationem latae sententiae hoc efficere, *ut absque processu alio judiciali, aut nova constitutione possit judex statim probato facto, vel confessato, ferre juris sententiam, et eamdem publicare; non sic ubi canones essent solum ferendae sententiae, quoniam monitiones et processus secundum terminos juris perquirerentur multiplices.* Hac de re prae ceteris legendus est Theophilus Raynaudus de Monit. eccl. part. 2. c. 20. opp. tom. 14.

Initio diximus potestatem excommunicandi Antistitibus Ecclesiae, scilicet Episcopis, eoque magis Antistitis supremo Romano Pontifici a Christo datam esse, ad quos

proinde ea potestas jure divino pertinet. Praelati vero saeculares cum Territorio separato, Moderatores Ordinum Religiosorum, et generatim omnes jurisdictionem habentes in foro externo possunt eadem potestate uti ex jure ecclesiastico; non vero Parochi: namque ut optime disserit Hurtad de Excommunic. disputat. 12. difficul. 1. n. 2. *Communiter Doctores negant Parocho potestatem ordinariam excommunicandi. Et merito, quia nec ex suo munere, nec ex jure habet potestatem, seu jurisdictionem in foro contentioso*: Ubi notanda sunt ea verba *negant Parocho potestatem ordinariam*; nihil enim impedit, quominus Parochorum aliquis potestate extraordinaria ex. gr. ex privilegio, vel legitime praescripta consuetudine excommunicationem in suos Parochianos ferat. Quod si cap. *Cum ab Ecclesiarum* de offic. Jud. ordin. excommunicationem a Plebano S. Pancratii de Lucar in suos Clericos et laicos latam Alexander III ratam habuit, tenendum profecto est, Plebanum extraordinaria potestate egisse, quemadmodum Theologi et Canonistae fere omnes eam Decretalem interpretantur respectu habito ad munus Parochiale, ad jus divinum et ecclesiasticum, atque ad ipsius Ecclesiae sensum, sive praxim, quatenus eam potestatem ordinariam nusquam Parochi exercuerunt. At vero Petrus Mingonius disceptatione Florentiae edita an. 1732. *De eminentiori Parochorum dignitate supra Canonicos* non dubitavit Alexandri III. mentem aliter interpretari, atque interpretatione sua, quasi certo solidoque fundamento nixus probare contendit, Parochos potestate ordinaria in foro externo praeditos, ideoque excommunicare posse.

Eum confutavit Joannes Dominicus Larius dissertatione Pisis edita an. 1733. Confer Gonzalez ad cit. cap. de offic. Jud. ordin., et Benedictum XIV. de Synod. Dioec. l. V. cap. 4. n. 2. Qua de re haec satis sint.

Nunc videndum nobis est quid intersit inter Pontificis et Episcoporum potestatem, sive spectentur personae, quae a communione Ecclesiae segregari possunt, sive causae, propter quas segregantur. Quod ad personas pertinet jam diximus excommunicandi jus in potestate ligandi fundatum, et jurisdictionis ecclesiasticae partem esse; ideoque Antistiti potestas est excommunicandi eos, qui suae jurisdictioni obnoxii sunt; Pontifex vero ea potestate in omnes Christianos utitur, quia quotquot in Ecclesia sunt ratione Primatus subjectos habet. Sed Febronius in hac re eamdem Pontifici potestatem tribuit ac Episcopis. Negat enim ullam Pontifici potestatem esse in eos, qui extra suam Dioecesim versantur, et propriis Episcopis subjiciuntur; ex quo fit, ut tum Pontifex, tum Episcopi in sua quisque Dioecesi, non in aliena, excommunicandi ejicendique a propriae dumtaxat Ecclesiae communione jus habeant. Qui quidem perniciosissimus et capitalis error tum Primatum jurisdictionis, tum centrum unitatis funditus evertit. Praeclare Ballerinus in Vindiciis auctoritatis Pontificiae cap. 7 n. 7. *Febronius ex falso sui systematis principio Romano Pontifici subditos negat, qui aliis Episcopis subjiciuntur; quod evertit ipsam Primatus naturam, qua idem Pontifex praesidet singulis et omnibus tum Episcopis, tum ovibus gregis dominici.... Et cum ille, qui in omnes et singu-*

los catholicos jus habet, aliquem excommunicatione, et anathemate plectit, eum non solum a sua, et Romanae particularis Ecclesiae communione ejicit, verum etiam praecidit et ejicit a communione, et unitate totius Ecclesiae catholicae, quae ipsi tanquam capiti catholicae communionis et adhaeret, et adhaerere debet jure primatus, nec fieri potest, ut quisquam ab eo praecisus, non sit etiam praecisus ab ipsa Ecclesia, quae eidem communionis centro ex institutione Christi immobiliter adhaerescit.

Eos vero, qui a proprio Episcopo excommunicati fuerunt, certum est neque absolvi, neque in communionem recipi posse; namque recta regiminis Ecclesiastici ratio postulat, ratas fixas manere poenas, quibus una Ecclesia in sontes animadverterit: idque etiam Sacris Canonibus sancitum fuit. Proinde Episcopi ex antiquo more institutoque per epistolas *communicatorias*, sive *formatas*, de quibus initio diximus, ceteris Episcopis eos denunciabant, quibus Sacrorum communione interdixerant, eamque disciplinam Pontificale Romanum servari jussit; sic enim parte 3. *de Ordine excommunic. et absolv.* praescribit: *Epistola Presbyteris per Parochias, et etiam vicinis Episcopis mittatur, continens nomen excommunicati, et excommunicationis causam, ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet.*

§. 33.

DE JURE CASUUM RESERVANDORUM

Ad Sacramentum Poenitentiae administrandum non modo necessaria est potestas Ordinis, qua remittuntur pec-

cata, vel retinentur, verum etiam potestas Jurisdictionis; neutraque sine altera satis est. Ea siquidem est Sacramenti Poenitentiae natura, ut instar judicii conficiendum sit; ideoque Sacerdos cum judicis personam gerere et sedere pro Tribunali debeat, atque dijudicare utrum peccata remittenda sint, an retinenda, perspicuum est ad illud judicium rite recteque instituendum perficiendumque necesse esse, ut potestatem habeat tum cognoscendi de culpa poenitentis, tum etiam praescribendi aliquid vel imperandi, quod poenitens praestare omnino debeat.

At quonam jure Sacerdos poterit cognoscere de culpa poenitentis ut eum absolvat, eique praescribere vel imperare aliquid, si poenitens ejus jurisdictioni non subsit? Nullo quidem jure. Restat igitur ut cum Ordinis potestate conjungenda sit potestas Jurisdictionis, sine qua Sacramentum neque licite, neque valide administratur.

Praeclare S. Thomas lib. IV. contra Gent. cap. 72. *Minister* inquit, *Ecclesiae in usu Clavium judicium quoddam exercet; nulli autem judicium committitur, nisi in sibi subditos: unde manifestum est, quod non quilibet Sacerdos quemlibet potest absolvere a peccato, ut quidam mentiuntur, sed eum tantum, in quem accipit potestatem.* Et in supplem. quaest. 8. art. 4. *Oportet ille qui dispensator hujus sacramenti constituitur, sit quod talis qui possit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alienum, nisi ei qui habet super eum jurisdictionem; et ideo de necessitate hujus Sacramenti est non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis Sacramentis, sed etiam quod habeat juris-*

dictionem. Et ideo sicut ille, qui non est Sacerdos, non potest hoc Sacramentum conferre, ita nec ille qui non habet jurisdictionem.

Verum hac de re dubitare amplius non licet, postquam Tridentina Synodus sess. 24. cap. 6. definivit absolutionem Sacerdotis a Christo Domino institutam esse *ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut judice sententia pronunciatur :* et cap. 7. *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur,* PERSUASUM SEMPER IN ECCLESIA DEI FUIT, *et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Quod antea a Concilio Florentino definitum fuerat, in *Decreto,* scilicet, *Ministrum Sacramenti Poenitentiae esse Sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi ordinariam, vel ex commissione Superioris.*

At vero isthaec doctrina catholica, quam tota antiquitas tenuit, primo quidem in Galliis oppugnari coepta est: quapropter Sacra Facultas Parisiensis hanc propositionem *Validitas Sacramenti Poenitentiae non pendet a jurisdictione* hac censura notavit: *Haec propositio est erronea, et sapit haeresim a Concilio Tridentino damnatam ;* item hanc propositionem *Sacerdotes omnes sive Pastores sint, sive non sint, conjuncti sunt in potestate ligandi et solvendi, et ex Christi institutione subditos habent : hi subditi sunt Christianus Orbis* ita notavit : *Haec propositio, quae asserit omnibus Sacerdotibus ex institutione Christi attributos esse subditos, in quos ligandi et solvendi pote-*

statem in ordinatione acceptam exerceant independenter ab Episcopi missione, hosque subditos esse orbem christianum, falsa est, Ecclesiasticae Hierarchiae destructiva et erronea. Vid. Collectio judic. tom. III. p. I. pag. 211. Et cum quidam Edm. Amiot in Theologica Facultate *licentiandus* eamdem propositionem defendere ausus esset, eam retractare coactus fuit, et publice profiteri, *in unoquoque Sacerdote praeter illam omnem potestatem, quam accepit in ordinatione, adhuc requiri jurisdictionem ab Ecclesia sive ordinariam, sive delegatam, ut valide absolvat.* Ibidem p. II. pag. 280.

Veruntamen hujusmodi error e Gallia depulsus in Italia patronum invenit Aloisium Litta Canonicum Mediolanensem, quem Joannes Baptista Guadagnini, et Georgius Sicardi cum paucis assentatoribus sequuti sunt. Igitur Aloisius Litta veritus non est asserere, Sacerdotem potestatis jurisdictionis expertem valide absolvere, et si a casibus reservatis absolvat, ejus absolutionem illicitam esse, non invalidam, apertissime contradicens Tridentinae Synodo, quae pronunciavit hujusmodi Sacerdotis absolutionem nullius momenti esse; et can. 11. anathemate ferit, *qui dixerit, casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat.*

Sed hic non finis errorum. A Concilio Tridentino definitum fuit sess. 14. can. 9. *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem, anathema sit.* Id quidem fateri Aloisius Litta visus est; veruntamen ait sine ulla potestate jurisdictionis actum fieri judicialem posse per quoddam *compromissum*, propterea

quod poenitens dum Sacerdoti se subjicit, eum constituit sibi arbitrum, adeoque judicem cum potestate sententiam proferendi, et judicandi. Ex quo quam multi et quam graves errores, immo haereses, atque impietates consequantur, solide luculenterque ostendit doctissimus P. Herm. Cristianopulus in egregio opere, *Della nullità delle assoluzioni nei casi riservati*. Citata vero Aloisii Littae epistola in pravorum librorum Indicem relata fuit decreto S. Congregationis die 2. Augusti 1790.

His positis, ad rem nostram proxime accedamus. Potestas jurisdictionis, sine qua Sacerdos nec licite, nec valide absolvit, est potestas in subditos, adeoque ad eos solum pertinet, qui subditos habent. At non quilibet Sacerdos ex jure divino subditos habet, sed tantummodo Pontifex in Ecclesia universa, et Episcopi in sua quisque Dioecesi; ideoque ab iis jurisdictio ad absolutionem valide impertiendam necessaria in Sacerdotes inferiores descendit, ita tamen ut auctoritati superiori semper obnoxia maneat, sive, ut ajunt, subordinata, atque adeo coarctari, atque etiam auferri potest. Praeclare Gerson in tractatu *de Statibus Ecclesiae* Consideratione tertia: *Status,* inquit, *Praelationis Episcopalis habuit in Apostolis et Successoribus usum vel exercitium suae potestatis sub Petro et Successoribus ejus, tanquam sub habente vel habentibus plenitudinem fontalem Episcopalis auctoritatis. Unde et quoad talia minores Praelati subsunt Episcopis, a quibus usus suae potestatis quandoque limitatur vel arcetur, et sic a Papa posse fieri circa Praelatos majores ex certis et rationabilibus causis non est ambigendum.* Itaque Pon-

tifex in Ecclesia universa, et Episcopi in sua quisque Dioecesi coarctare possunt inferiorum Sacerdotum jurisdictionem, et quaedam graviora crimina sibi suoque judicio relaxanda reservare. Quam catholicam doctrinam Tridentina Synodus tradidit sess. 14. cap. 7. de Casuum reservatione: *Magnopere*, inquit, *ad christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et gravia crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura adnexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.* Et eadem sessione can. 11. *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.* Itaque Ludovicus Habert de Poenit. cap. 7. haec habet: DE FIDE EST *Summum Pontificem et Episcopos posse sibi reservare casus, a quibus inferiores Sacerdotes absolvere nequeunt etiam in foro conscientiae, nisi potestate ab illis delegata. Epi-*

scopi absolvere possunt a peccatis Summo Pontifici reservatis subditos, qui prae infirmitate, aut alio impedimento ad Sedem Apostolicam recurrere nequeunt. Eos igitur qui recurrere possunt, ab Episcopis absolvi nequeunt. Et Sylvius Commentario in tertiam partem S. Thomae quaest. XX. art. 2. *Sacerdotem,* inquit, *non semper posse absolvere suum subditum, eo quod Superior possit aliqua sibi reservare, in quibus judicium inferiori non committat. Esse autem in Ecclesia potestatem reservandi quaedam peccata, eamque reservationem non tantum in foro externo, sed etiam coram Deo vim habere,* DOGMA CATHOLICUM *est definitum in Concilio Tridentino sess.* 14. *cap.* 7. *et can.* 11. Et ne quis forte putaret, hujusmodi reservationibus eos tantummodo teneri, qui delegatam, non autem eos qui ordinariam jurisdictionem habent, idem Auctor citato loco ad quaestionem, *Qui possint peccata reservare,* respondet: *Id eos posse, qui habent ordinariam jurisdictionem in foro conscientiae. Cum enim possint jurisdictionem aliis delegare, possunt etiam ampliorem vel strictiorem concedere. Neque solum hoc possunt respectu eorum, quibus delegant, sed etiam respectu habentium jurisdictionem ordinariam, si illi sint ipsis inferiores. Unde Romanus Pontifex potest reservare sibi casus respectu quorumcumque Praelatorum, et Episcopus respectu Parochorum.* Hinc Martinus V in Concilio Constantiensi circa finem inter reliquas interrogationes ponit hanc: *Utrum credat auctoritatem jurisdictionis Papae et Episcopi esse majorem in solvendo, ligandoque auctoritate simplicis Sacerdotis etiam habentis curam animarum.*

Febronius de Statu Ecclesiae lib. II. pag. 283 edit. Francof. et Lipsiae an. 1770 ea qua solet asserendi audacia *Papales, inquit, quorumdam criminum reservationes suam originem et fundamentum habent non in jure divino, et proxime a Christo, sed in consensu Episcoporum et auctoritate Ecclesiae; siquidem pluribus saeculis penes Episcopos fuit plena et omnimoda auctoritas absolvendi in foro poenitentiali cujuscumque quantumvis enormis sceleris reos, neque iis saeculis ulla erat reservatio papalis in foro illo poenitentiali nota. At circa saeculum undecimum coeperunt Episcopi ipsi nonnullos graviorum criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere; idque vel ut a Pontifice reconciliarentur, vel ut a Pontifice poenitentia imponeretur, qua demum peracta, ab Episcopis absolverentur. Nec tantum in particulari aliquo casu poenitentes ad Sedem Apostolicam mittebant, sed subinde etiam generali decreto alicujus criminis reos non ab Episcopis aut Archiepiscopis, sed a solo Pontifice absolvendos decernebant. Hoc vero hac ratione factum videtur, ut hac reservatione difficilior esset obtinendi a crimine commisso absolutio, atque hac difficultate a crimine committendo retraherentur.*

Duo hic affirmat Febronius. Primum est reservationes papales circa saeculum undecimum ex facto Episcoporum originem duxisse: addendum tamen erat, aliqua reservationum exempla longe ante saeculum undecimum reperiri. Alterum est hujusmodi reservationibus homines a peccando deterreri. Sane bene: verum *hoc confirmat tales reservationes non injuste, non fraudulenter introductas fuisse,*

quando ipsi Episcopi sua praxi testabantur talem disciplinam salubrem fore, ut scite animadvertit Auctor operis, quod inscribitur Febronius abbreviatus cum notis tom. IV in notis ad §. VI.

Denique Febronius ita concludit: *Per mox enarratas illas, et successive communes redditas quorumdam reorum ad Sedem Apostolicam pro absolutione remissiones, tandem quaedam universalis consuetudo, et in hac fundata juris Papalis species enata est, suum habens in Ecclesiarum consensu fundamentum.*

Haec conclusio falsis et inanibus conjecturis nititur. *Num*, ut verba Ballerinii de potest. Eccles. p. 186. mea faciam, *num quorumdam Episcoporum observantia, qua initio particulares casus Apostolicae Sedi detulerunt, probare potest consensum omnium, qui de tali potestate abs se abdicanda ne cogitarunt quidem? Num qui initio detulerunt eos casus ad eamdem Sedem, potestatem quae isti Sedi non competeret, eidem quasi suo juri renunciantes tribuisse dicendi sunt? Num S. Petrus, qui omnia solvere et ligare poterat ex institutione ipsius Christi, non potuisset in illis casibus absolvere, nisi hanc potestatem sibi Episcopi concessissent? Num minor est Romanorum Pontificum auctoritas, in quos idem Petri Primatus ac jurisdictio transivit? Nonne ipsum Tridentinum Concilium totum reservandi jus non in delationem Episcoporum, sed in supremam potestatem sibi* (Summo Pontifici) *in Ecclesia universa traditam expresse retulit?*

Ad haec Febronius: *Bono*, inquit, *jure dicere potuit dixitque S. Synodus, Summum Pontificem pro suprema*

potestate sibi in Ecclesia universali tradita potuisse quaedam graviora crimina reservare, abstrahendo a quo haec ei portio potestatis tradita sit, utrum nempe a jure divino, an a consensu Episcoporum.

Haec postrema animadversio facile diluitur. Concilium *abstrahit*, hoc est reticet, non meminit a quo ea potestas Pontificibus tradita fuerit. Ita quidem. At Concilium non reticet, sed meminit, sed apertis verbis docet qua potestate Pontifices quaedam sibi graviora crimina reservare possunt; cujus quidem potestatis indole et natura cognita plane intelligitur a quo eadem potestas manaverit. Concilii verba haec sunt: *Merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Igitur Pontifices Maximi in quibusdam criminibus reservandis *suprema potestate* utuntur *in Ecclesia universa sibi tradita;* atqui suprema potestas, quam Summi Pontifices in Ecclesia universa tenent, non eis ab Ecclesia, sed ab ipso Christo tributa fuit, quod catholici omnes profitentur; ergo causas criminum graviores sibi reservant jure divino, sive ex ea potestate, quam ab ipso Christo acceperunt.

Sed de casuum reservatione satis. Qui plura desiderat praeter Auctores supra citatos videat Thomassinum *de vet. et nov. Eccles. discipl.* tom. I. lib. 2 cap. 13, Mansium *Animadvers. in Thomas.* tom. III. edit. Luc. 1728 pag. 636, Pontas in Diction. *de casuum reserv.*, Petrum Ballerinium *in Vindic. Auctorit. Pontific.* cap. IV. n. 5, Card. Gerdil *Animadv. in Comm. Febronii in suam retract.* proposit. 24, Zacchariam *in Antife-*

bronio vindicato part. III. Dissert. VII. cap. 4, et passim Theologos in Tractatu de Sacramento Poenitentiae.

§. 34.

DE RESERVATIONE BENEFICIORUM

Generalis regula est, inquit Zallinger lib. III tit. V de Praebend. et Dignit., *Episcopum in sua Dioecesi omnia conferre Beneficia saltem non collegialia, eoque jure tamdiu utitur, donec alius jus sibi competens ostendat; atque hoc est, quod Doctores ajunt, Episcopum pro conferendis Beneficiis habere intentionem fundatam in jure,* cap. 1 de Cappell. Monach., Gratianus can. *Omnes* 10..... *Sed intentio fundata in jure, quam Episcopi habent pro conferendis beneficiis suae Dioecesis, spectato ipso jure, idest verbis et mente SS. Canonum, minime obest juri et potestati RR. Pontificum beneficia conferendi,* cap. 2 de Praebend. et Dignit. in 6, Clement. 1 ut lite penden. nil. innov.

Quo quidem jure conferendi aliarum Dioecesium beneficia Summi Pontifices usi sunt, in primisque S. Gregorius M., quem suspicari non licet jus alienum invadere voluisse; sed cum esset antiquarum regularum studiosissimus, id profecto egit, quod ab Innocentio I, Leone M., aliisque Pontificibus actum fuisse compererat. Plurimas S. Gregorii M. epistolas, quibus ea res comprobari potest, Thomassinus congessit p. II lib. 1 cap. 41. Ex iis vero unam satis sit in medium proferre libri tertii epistolam 14, in qua ad Episcopum Importunum

ita scribit: *Ea quae provide disponuntur, fraternitatem tuam credimus libenter amplecti. Et quia Ecclesiam Sanctae Mariae quondam* CAMPISONIS *in tua Parochia positam Praesbytero vacare cognovimus, praesentem portitorem Dominicum Praesbyterum in eadem Ecclesia, ut praeesse debeat, nos scito deputasse. Ideoque fraternitas tua ei emolumenta ejusdem Ecclesiae facias sine cunctatione praestari, et decimae fructus indictionis, qui jam percepti sunt, praedicto viro fac sine mora restitui, quatenus ejusdem Ecclesiae utilitates, cujus emolumenta consequitur, Deo adjuvante, sollicite valeat procurare.*

Pontifices autem solebant hanc agendi rationem tenere: primo namque litteras sic dictas *monitorias* ad Episcopum dabant, quibus nempe Episcopus monebatur, ut beneficium vacans certo viro ecclesiastico conferret. Si Episcopus monitionem pro nihilo duxisset, litteras *praeceptorias* adhibebant; et quatenus Episcopus ne praeceptis quidem parere voluisset, litteras *executorias* mittebant, constituto nempe Executore, qui Pontificis jussa exequeretur.

Hujusmodi litteris affinia erant *mandata de providendo*, quibus mandabatur Episcopo, vel alii Collatori, ut designato Clerico beneficium aliquod conferret. Horum mandatorum auctor extitisse Hadrianus IV. aliquibus videtur. Erant autem ista mandata duplicis generis; alia enim dabantur pro beneficiis, quae jam vacarent: alia vero pro beneficiis vacaturis; atque haec posteriora mandata etiam *gratiae expectativae* dicebantur. Sed postea visum est Pontificibus certa quaedam beneficia sibi reservare, hoc est suae collationi addicere, ita ut reliquorum omnium collatio ad Episcopos pertineret.

His positis, quaestio fit quo jure Summi Pontifices beneficia aliarum Dioecesium sibi reservent? Respondemus eodem profecto jure, quo *graviora quaedam crimina suo peculiari judicio reservare potuerunt, scilicet jure Primatus pro sua in Ecclesia universa sibi tradita potestate,* tum pro supremo si non dominio, at certe suprema Ecclesiasticorum bonorum omnium admnistratione, ita ut, quod singulis Episcopis in sua cuique Dioecesi agere licet, id quin Summo Pontifici in qualibet Dioecesi liceat dubitandum minime sit, cum ipse Ecclesiarum omnium curam et sollicitudinem gerat, et bene de Ecclesia meritis, pro ea laborantibus, litteratis, et pauperibus ad eum confugientibus consulere, ut par est, et prospicere debeat. Ad haec adde Sacrorum Canonum praescripta, de quibus omnibus late disserunt Pichler in lib. III Decret. tit. 5. n. 41., Biner dissert. 1. *de jure beneficiali,* Pirrhing *de praeb. et dignit.* sect. 3. §. 1. n. 74. Thomassinus tom. II. lib. 1. cap. 31., Card. Gerdil *in Comment. a Justino Febronio in suam retractationem edito animadv.* 31., Zaccharia *in Antifebronio vindic.* diss. VII. toto cap. 5., aliique permulti.

Sed ajunt : si Summi Pontifices illud jus potestatemque, qua in conferendis beneficiis usi sunt tum ratione Primatus, tum ratione supremae bonorum Ecclesiasticorum administrationis, tum denique Sacrorum Canonum praescripto habuissent, quomodo fieri poterat, ut non solum aliquot Ecclesiae, verum etiam integra regna, ipsaque generalia Concilia ejus mandatis et reservationibus obsisterent? Atqui vehementer obstiterunt. Priusquam iis, qui haec

objiciunt, satisfaciamus, praeponendum est in hanc rem, quemadmodum in ceteras res humanas, irrepere quosdam abusus potuisse. Id fatetur Innocentius IV; namque in ejus Bulla, quae extat in additionibus ad Matthaeum Parisium, reservationes mandataque omnia irrita fecit, *quae*, ut ait, *et qualitas temporis, quod diebus istis potissimum fuit, ob eorum malitiam modis variis redimendum, et nonnullorum importuna instantia extorsit.* Itaque regna integra non de jure conquesta sunt, sed de juris ipsius usu, nempe ut est apud Rigantium Comment. in reg. 1 Cancellar. §. 1 n. 12: *Pontificiis reservationibus utcumque specialibus obsequutae sunt Nationes omnes, quamdiu servata regula boni et aequi, aut pauperibus aut indigenis beneficia distribuebantur. Sed restitere Angli, dum earum Provinciarum opes deferri videbant in Italiam, et rursus obstitere tum Angli, cum Hispani, quum a Pontificibus Avenione residentibus hominibus Gallis sua sacerdotia conferri viderent.* Igitur de jure Pontificum nulla extitit controversia; de ejus usu contentiones inciderunt, quae deinde sublatae sunt per Concordata seu pacta conventa, quae Apostolica Sedes cum Summis Principibus inivit.

Quod vero ad Concilia generalia pertinet, primum in Constantiensi, deinde in Basileensi Concilio de moderandis reservationibus actum est; res tamen ad exitum non pervenit. At Concilium Tridentinum sess. XXIV. cap. 19. mandata de providendo, quae *expectativae* dicuntur, et alias quascumque gratias ad beneficia vacatura prorsus abolevit, reservationes integras reliquit.

Quae quidem omnia magis favent Summorum Pontificum juribus, quam eis obsint.

Si fas est aperte dicere quod sentimus, quotiescumque agitur de quavis reservatione, qua facultates Episcoporum coarctantur in animo tum Pontificum tum Episcoporum quasi insculpta esse oporteret haec Petri Ballerini verba in Vindic. auct. Pontif. cap. 4 n. 4 magni consilii et prudentiae plena: *Non debent quidem Pontifices passim ac temere Episcoporum facultates, et jura quavis de causa diminuere, limitare, sibique attribuere: id enim in publicum damnum, et magnam Ecclesiarum perturbationem deflecteret. At si causa iusta occurrat, qua utile vel necessarium bono publico judicent aliquid tale efficere, sibive nonnulla reservare, quis id Pontificiae supremae potestati negare auserit? Ecclesiae certe bonum et naturalis ordo postulant, ne Primatui totius Ecclesiae haec potestas in ipsas Episcoporum facultates negetur. Quum enim Episcopi cum suis facultatibus instituti fuerint a Christo in bonum Ecclesiae, non vero Ecclesia in Episcoporum, hi utilitati, vel necessitati Ecclesiae ita debent studere, ut non inique ferant, si ex utilitate vel necessitate ejusdem Ecclesiae aliquot facultatum suarum restrictionem, moderationem, aut reservationem suprema potestas faciendam censuerit.*

§. 35.

DE JURE CONCEDENDI EXEMPTIONES

Natalis Alexander dissert. 12 in saecul. XVI de Syn. Trid. art 16 num. 41, quamvis putet Episcopos immediate a Deo jurisdictionem accipere, attamen *Dioecesum,* inquit, *divisio subditorumque designatio a Romano Pontifice pendet, qui et justis de causis immunitates ac*

privilegia ecclesiis, vel monasteriis concedere potest, quibus ab ordinaria jurisdictione solvantur et eximantur. Sicut itaque in potestate Romani Pontificis positum est, portionem gregis, ex. gr. oppidum, ejusque incolas uni Dioecesi subtrahere, et alteri subjicere, sic poterit ecclesias, et monasteria, in aliqua Dioecesi sita, suae jurisdictioni reservare.

Exemptiones autem hujusmodi veteri more institutoque Ecclesiae nituntur. Patriarchae Orientales jam inde a priscis Ecclesiae saeculis nova monasteria in Episcoporum Dioecesibus aedificata jure *Stauropegii* declarabant sibi in posterum subjecta fore: quamobrem Thomassinus de nova et vet. Eccl. disciplina part. 1 lib. 3 cap. 31 num. 15 affirmat, dubitandum non esse, *quin saeculo jam VII essent in Patriarchatu Costantinopolitano bene multa coenobia ab Episcoporum Dioecesanorum spirituali jurisdictione prorsus absoluta, et uni immediate subjecta Patriarchae Constantinopolitano, et Exarcho Patriarchali, quem ille ad omnium monasteriorum administrationem delegabat.* In Synodo etiam Carthaginiensi sub Bonifacio Episcopo an. 525 apud Labbeum legimus, exemptionem a jurisdictione Liberati Episcopi, quantumvis dissentientis, monasterio Abbatis Petri concessam fuisse, prolatis in medium antiquioribus exemptionum monumentis, decretisque Synodorum: *Neque enim,* respondit Bonifacius, *poterimus statuta mutare, quae per tot Sacerdotes instinctu divino servata noscuntur.* Quis porro inficias ibit, quod Patriarchis Synodisque provincialibus olim licuit, id Romano Pontifici non licere?

Denique in quinque Conciliis, nimirum Viennensi, Constantiensi, Lateranensi IV, Lateranensi V, et Tridentino de exemptionibus actum est, neque istud jus Summi Pontificis in dubitationem adductum, neque exemptiones sublatae, sed aliquae tantummodo regulae mira sapientia conditae, quae ad legitimas causas, et usum exemptionum pertinent. Ex iisdem etiam Conciliis apertissimum est, jus exemptionum concedendarum nunc uni Romano Pontifici reservatum esse.

Quamquam Episcopalis ordo divinitus institutus sit, sive ut ait Apostolus, *Episcopi positi sint a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*, portio tamen ejus gregis, quem quisque regat, a Christo determinata non fuit, sed prudenti Ecclesiae arbitrio relicta; id quod infra demonstrabimus. Itaque divinis Episcoporum juribus nulla fit injuria, dum Ecclesia, Monasterium, vel persona aliqua ratione muneris, aut dignitatis, aliave justa de causa a jurisdictione alicujus Episcopi eximitur. Illud accedit, quod Concilia et Pontifices semper caverunt, *ne privilegia et exemptiones, quae variis titulis plerisque conceduntur, perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitarent, et exemptis occasionem laxioris vitae praeberent:* Concil. Trident. sess. 24 cap, 11 de reform.

§. 36.

DE JURE PERCIPIENDI ANNATAS

Annatae sunt certae pensiones, aut certae pecuniae quantitates, quae ex Episcopatuum, aliorumque Beneficiorum fructibus primi anni Romano Pontifici, sive Camerae Apostolicae solvuntur. Jam vero naturali et divino

jure docemur subsidia illis, qui in Ecclesia operantur, impertienda esse, ideoque in primis Romano Pontifici, qui omnium Ecclesiarum curam et sollicitudinem gerit, et maxima onera et sumptus sustinere cogitur. Qua de re Apostolus I ad Corinth. 9 : *Si nos,* inquit, *vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?... Nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt, edunt ; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Quemadmodum itaque Summo Legis veteris Sacerdoti a minoribus Sacerdotibus et Levitis suarum decimarum decimae ex divino praecepto solvebantur, *ita simillimo quoque munere a Praelatis inferioribus colendum esse Romanum Pontificem, idque convenienter per annatas perfici,* fatetur ipse Gersonius in opusc. de simonia.

At vero non defuerunt, qui exactionem annatarum tamquam simoniacam vel injustam traduxerunt. Tournelius in locis theologicis de Concilio Basileensi haec habet : *Respondeo cum ill. De Marca, Natali Alexandro, Fagnano juris pontificii peritissimo, Feuret et aliis, annatas solvere nec simoniacum, nec injustum. Responsio haec est contra Molineum, Launojum etc.* Tum allatis in eam rem Conciliorum Viennensis, et Constantiensis, et Apostolicarum Constitutionum auctoritatibus sic conficit argumentum : *Omnibus curam animarum habentibus pie solvuntur decimae. Porro Romanus Pontifex jure divino constitutus est Pastor omnium fidelium, et omnium Ecclesiarum curam gerere debet. Ergo annatas absque ullo*

vitio recipere potest, easque pie ac rationabiliter conferunt Praesules designati. Et Barthel *Dissert. Praelim. de Concord.* cap. 3 sect. 3 num. 5 rectissime ratiocinatur hoc modo: *Doctrinale judiciorum de hac quaestione, utrum exactio annatarum sit simoniaca, non Magistratus politici, sed Praelatorum et Doctorum Ecclesiae proprium est, et finitiva ea de re sententia ad Episcopos, Pontificem ipsum, et Concilia pertinet juxta gravissima verba Basilii Imperatoris in allocutione Synodi VIII Oecumenicae: « Laico cuicumque nulla ratione de ecclesiasticis causis disputandi fas esse dico, haec enim excutiendi, et in utramque partem agitandi Patriarcharum, Sacerdotum et Doctorum est officium, quibus a Deo ligandi et solvendi potestas est concessa. Nam laicus, etsi omnis pietatis et sapientiae laude praestet, tamen laicus est, et ovis, non pastor ». Porro Doctores, Episcopi, Pontifices Maximi, Ecclesia per orbem diffusa, annatas subventionis titulo exigi, solvique posse agnoscunt, sentiunt, judicant, sive ante, sive post Bullarum concessionem exigantur. Horum itaque judicio standum est quoad juris quaestionem in hac causa.*

De annatis copiose diligenterque scripserunt Thomassinus de *vet. et. nov. Eccles. disciplin. part.* 3 *lib.* 2 *cap.* 56 *n.* 5, Natalis Alexander *Hist. eccl. saec. XV. et XVI diss.* 9 *de annatis art.* 3, et Fagnanus *in cap. Praeterea* 1 *Ne Praelati vices suas.*

§. 37.

DE JURE MITTENDI LEGATOS SEU NUNTIOS

Prima Legatorum divisio est, quod alii *extraordinarii* sint, alii *ordinarii*. Extraordinarii mittuntur ad peculiare negotium expediendum, quorum proinde officium absoluto negotio expirat. Ita Zosimus Pontifex S. Augustinum in Caesariensem Mauritaniae civitatem legavit: sic Pontifices ad cogenda generalia Concilia, eisque praesidendum, Legatos saepe miserunt. Ordinarii sunt, qui non alicui peculiari negotio addicti, sed ad quascumque causas ecclesiasticas mittuntur, quorum proinde officium diuturnum est atque perpetuum. Hujus generis fuerunt Responsales, seu *Apocrisarii*, qui assidue apud Principes Legati erant, ut omnia quae emergerent negotia expedirent, et responsa seu mandata exequerentur eorum, a quibus missi fuerant. Horum originem Hincmarus Rhemensis tom. I part. 206 deducit ab aetate Constantini Magni: ex quo perspicuum est, vix data Ecclesiae pace, legationes stabiles extitisse. At praeter Apocrisarios, qui in aula regia morabantur, munus legationis stabilis quibusdam dissitarum atque illustrium civitatum Episcopis Romani Pontifices concrediderunt, qui *Vicarii Apostolici* vocati sunt, qualis fuit Vicariatus Thessalonicensis in Illyrico, Arelatensis in Gallia. At saeculo Ecclesiae IX Vicariatus Apostolici rariores evaserunt, ex iisque originem suam duxerunt *Legati nati*, qui Ecclesiarum suarum praetextu legationis sibi vindicant dignitatem (cap. 9. de Legatis). Cum enim Romani Pontifices solerent Episcopos quarumdam illustri-

um civitatum eo munere decorare, inde factum èst, ut generali tandem concessione, aut consuetudine quadam jus Apostolici Vicariatus Sedibus earumdem civitatum adnecteretur, atque adeo non amplius personalis dignitas, sed realis habita est; quae quidem sine nova Apostolicae Sedis concessione in successores tránsiret. Hoc privilegio aucta est Ecclesia Salisburgensis in Germania, Rhemensis, Bituricensis, et Lugdunensis in Gallia, Pisana in Italia, Toletana in Hispania etc; earumque Ecclesiarum Episcopi dicti sunt tum *Legati nati*, tum etiam *Primates*, quod primum honoris et dignitatis locum inter Episcopos suae legationis tenerent.

Verum hujusmodi Legatis natis, sive Primatibus a saeculo XV titulus sine re, sive solum nomen sine ulla potestate relictum est. Nunc itaque soli Legati missi, hoc est, Cardinales a latere Pontificis missi, et Nuntii Apostolici apud aulas regias, aut nationes exteras legatorum munere funguntur.

Jam vero quod ad nostrum institutum pertinet, planissime asserimus Romanis Pontificibus jus esse hos Legatos, eosque stabiles, in exteras provincias mittendi. *Nimirum,* ut ait Schottius in dissert. de Legatis natis cap. 1 §. 5; *Pontifex Romanus vi Primatus divina auctoritate fundati constitutus, non tantum est centrum unitatis atque communionis catholicae, sed ei insuper incumbit generalis et suprema cura, sollicitudo, atque superintendentia in omnes Ecclesias, cujus auctoritate fidei et generalis disciplinae unitatem puritatemque conservat, canonum observantiam promovet et tuetur, deficientes ab officio*

Praelatos ad muneris sui executionem revocat, eorum negligentiam et in cura pastorali defectus supplet, oppressos defendit, insufficientes ac impotentes adjuvat, verbo, ea omnia exequitur, quae Ecclesiae universalis, aut particularis cujuscumque salus, utilitas, necessitasve postulat. Haec autem et similia negotia cum plerumque ita constituta sint, ut personalem non raro praesentiam exigant, quam tamen Pontifex variis distentus impedimentis per se ipsum exhibere non valet; prohiberi is certe nulla ratione poterit, quominus per Legatos sufficienti auctoritate pro negotiorum expediendorum diversa natura instructos has muneris sui partes expleat.

At vero huic Romani Pontificis juri respondet obligatio Legatos hujusmodi recipiendi, quod praeclare animadvertit Anton. Schmidt Instit. Jur. Eccles. germ. accommod. part. 2. cap. 1 sect. 3 art. 3 §. 73 his verbis: *Quod si Pontifici jus perfectum eos mittendi denegari a catholico non possit; huic vicissim ex altera Principum etiam supremorum parte respondebit obligatio in thesi saltem certa, ne Legatos ejusmodi ab ingressu in terras suas prohibeant, aut legitimis eorum functionibus in salutem animarum necessariis sese obstaculo ponant. Neque hic argumentum duci poterit a Legatis aliis, cum jam per sese sat luculentum appareat discrimen: nulli quippe Principi supremo quidquam in alterum itidem talem, ejusve terras juris competit; cum contra Pontifici vi Primatus cura totius orbis christiani incumbat, atque in rebus ad salutem animarum pertinentibus ejus sese jurisdictio ubique protendat.*

10

Memoratu dignum est judicium, quod theologica Facultas Coloniensis tulit an. 1618 adversus librum Marci Antonii de Dominis *de Republica ecclesiastica.* Hic auctor caput 12 liberi IV ita inscripserat: *Legatos Romani Pontificis extra Ecclesiam Romanam vix ullam habere potestatem.* Censura Facultatis: *Titulus haereticus, schismaticus, et seditiosus.* Item n. 22 ejusdem capitis: *Postremis demum temporibus Legationes Romanae, et Nuntiaturae ad avaritiam, ambitionem, et ad sola negotia terrenu et temporalia expeditae sunt, et expediuntur. Nuntii vero Papae nunc dierum ad Imperatorem, Regem, Potentatus christianos eodem pariter loco sunt, quo Regum Legati in Curiis Principum saecularium pro negotiis nimirum saecularibus potissimum tractandis et indagandis commorantes. Et certe si optimo eos nomine insigniamus sunt oratores, sin vero exploratores.* Censura Facultatis: *Falsa, seditiosa in Romanum Pontificem, ejusque Legatos calumniosa.*

De hoc argumento vide praeclarissimum opus Pii VI Romae editum an. 1789, quod inscribitur " *Responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, et Salisburgensem super Nunciaturis Apostolicis* ,,.

§. 38.

DE JURE RECIPIENDI RELATIONES

Ex cura et sollicitudine omnium Ecclesiarum, quae divinitus Romano Pontifici commissa fuit, illud etiam consequitur, majores omnes causas, quae in singulis Ecclesiis vel provinciis inciderint, ad Apostolicam Sedem referendas esse, ut Pontifex undique possit quae sunt sui muneris partes implere. Glossator Decretalium, ad cap. *Quod translationem* de off. Legati, duasdeviginti ejus generis causas enumerat. Generatim vero causarum majo-

rum nomine, non tantum dubiae fidei et disciplinae causae, sed universim causae omnes et negotia, quae gravioris momenti sunt, intelliguntur. Itaque jus hoc Romani Pontificis non modo singuli quique Ecclesiarum Rectores et Patres, verum etiam peculiares Ecclesiae, ipsaque Concilia Oecumenica agnoverunt. Hujusmodi relationum exempla sunt, Corinthiorum primo jam saeculo de exortis inter ipsos dissensionibus ad Clementem I; S. Cypriani in controversia de reconciliandis lapsis ad Cornelium; Cyrilli Alexandrini in causa Nestorii ad Caelestinum: *Vetus Ecclesiarum consuetudo suadet*, ait Cyrillus ad Caelestinum, *ut hujusmodi res Sanctitati Tuae communicentur.* Et Concilium Sardicense anno 341 in epist. ad Julium Pontificem ita scribit: *Hoc optimum, et valde congruentissimum judicabitur, si ad Caput, idest ad Petri Sedem de singulis quibusque provinciis referant Sacerdotes.* Et Ephesina Synodus in epist. ad Caelestinum Pontificem: *Est hoc vobis adeo magis in more positum, ut in omnibus celebres sitis, studiaque vestra Ecclesiarum firmamenta constituatis. Quia vero necesse est, ut omnia, quae consequuta sunt, Sanctitati Tuae significentur, non potuimus non scribere.* Merito itaque Innocentius I in epist. ad Vittricium Rothomagensem diserte ait: *Si majores causae in medium fuerint devolutae, ad Apostolicam Sedem, sicut Synodus statuit et vetus consuetudo exigit, referantur.* Et Bonifacius I epist. 15 ad Rufum ita scribit: *Maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majori, Sedem semper consuluisse Romanam, et quoties usus exigit, ejus auxilium postulas-*

se. Sanctae memoriae Athanasius, et Petrus Alexandrinae Sacerdotes Ecclesiae hujus Sedis auxilium postularunt. Cum Antiochena Ecclesia per multum tempus laboraret, ita ut fierent illinc propter hoc ipsum saepe discursus, primo sub Miletio, postea sub Flaviano Apostolicam Sedem manifestum est esse consultam.

At vero majores causae non ideo ad Sedem Apostolicam referendae sunt, ut nihil ipsa inconsulta definiatur, sed praesertim ut ejusdem Sedis judicio et auctoritate dirimantur. Hinc Vigilius Pontifex epist. 7 : *Si qua,* inquit, *certamina aut de religione, aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, rationis ad nos seriem destinantes Apostolicae Sedi terminanda servate.* Et S. Gregorius Magnus ad Episcopum Larissensem : *Si qua,* inquit, *mediocris est quaestio, cognoscatur, vel huc ad Apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostrae audientiae sententia decidatur.*

Theodoritus Cyri Episcopus in epistola ad S. Leonem M., quae est n. 52 inter ipsius Leonis epistolas tom. I, morem referendi ad Apostolicam Sedem graviora quaeque ecclesiastica negotia ab ipsa Apostolorum aetate repetit, quandoquidem Apostolus Paulus, ut ait *ad Magnum Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explicationem ab ipso referret.* S. Hieronymus epistola 123 ad Ageruchiam n. 10 opp, tom. 1 scribit: *Cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum, Romanae Urbis Episcopum, et Orientis Occidentisque Synodicis consultationibus responderem etc.* Hujusmodi responsa, quae Hieronymus memorat, pluraque alia antiquis-

sima documenta injuria temporum interierunt, sed tamen multa, eaque certissima supersunt, quae diligenter collegit auctor operis *Quis est Petrus? seu Qualis Petri Primatus, parte* 3 *corollario* 2; ubi Romanorum Pontificum jus recipiendarum relationum omni argumentorum genere tuetur.

§. 39.

DE JURE APPELLATIONUM

S. Bernardus lib. 30 de consideratione ad Eugenium cap. 2: *Appellatur,* inquit, *de toto mundo ad Te. Id quidem in testimonium singularis Primatus Tui.* Quod quidem jus recipiendarum appellationum, non humana, sed divina institutione Primatui inhaerere, ita praeclare comprobat Benedictus XIV de Synodo Dioecesana lib. 4 cap. 6: *Est hujusmodi appellationum jus adeo necessario adnexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit perfracte inficiari. Etenim cum Primatus praerogativa Romanus Pontifex sit supremus in Ecclesia judex, cuique datur per appellationem ipsius implorare tuitionem; ab inferioris quippe sententia superioris tribunal adire omnibus concessum esse, ipsa naturalis aequitas dictat et persuadet.*

Nihilo tamen minus divinam hanc Romanae Sedis praerogativam Doctores aliqui in controversiam adducere non dubitarunt, contendentes jus appellationum a Sardicensi Concilio originem duxisse, et ita quidem, ut per canones Sardicenses non verae et proprie dictae appellationis, sed

revisionis dumtaxat jus Apostolicae Sedi tributum fuerit. Adversus hanc opinionem Natalis Alexander dissert. 28 in saeculum IV multa argumentorum copia demonstrat, jus appellationum recipiendarum non vi canonum Sardicensium, sed ratione Primatus ad Romanum Pontificem pertinere; canones vero Sardicenses de proprie sic dicta appellatione, non de una causarum, ut ajunt, revisione loquutos esse.

Romanum autem Pontificem appellare non modo Episcopis licet, sed etiam Presbyteris, aliisque Clericis inferioribus, quia supremus omnium judex est. Verum quod ad Presbyteros et Clericos inferiores pertinet, jus appellandi, ipsis Pontificibus sic volentibus, nunc majorem, nunc minorem amplificationem accipere potuit. Ita Innocentius I sua auctoritate firmavit Concilium Milevitanum, quo Clerici vetabantur ab Episcopis provinciae suae appellare; qua de re confer Bellarminum de Rom. Pont. lib. II. c. 24.

Nemini vero licet a sententia Pontificis appellare. *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quae de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus*: ita epist. 7 ad Episcopos Dardaniae scripsit Gelasius Papa, cujus auctoritatem Nicolaus I epist. 8 ad Michaelem Imperatorem adhibuit. Itaque a Summi Pontificis judicio ad Concilium generale Appellantes jure me-

ritoque damnati sunt Constitutione Pii II, quae incipit *Execrabilis*, et Constitutione Julii II, cujus initium *Susceptis*, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus. Ipse Petrus de Marca fateri cogitur, a Pontifice ad Concilium appellationes a veteri disciplina alienas esse. Certe quidem hujusmodi Appellantes id unum spectant atque moliuntur, ut Pontificis auctoritatem eludant, et ecclesiastica judicia irrita fiant. Itaque hujus generis appellationes perniciosae sunt regimini Ecclesiae, quia auctoritas legitima Pontificis labefactatur, imperandi vis evertitur, et inobedientia inulta manet. Exitiosae sunt paci et unitati, quia facilis schismati panditur aditus, difficilior autem fit medela. Exitiosae sunt fidei, quia haereses impune grassantur, propterea quod nec semper, nec quacumque de causa Concilia haberi possunt. Uno verbo, a sententia Pontificis ad Concilium appellare, numquid aliud est quam impune velle in errore et iniquitate perseverare, alios corrumpere, et Ecclesiam perturbare? Quid quod S. Antoninus doctrina et sanctitate clarissimus p. 3 sum. tit. 23 cap. 3 de appell. Papae §. 3 affirmare non dubitavit: *Sentire quod a Papa ad Concilium appellari possit, est haereticum, et contra illum articulum* S. ECCLESIAM CATHOLICAM: *nam si licitum esset appellare a Papa, et ille, ad quem appellatur, esset Caput, sic Papa non esset Caput, vel essent duo Capita, quod esset monstruosum?*

De tota hac re copiose admodum accurateque disserit Joan. Devoti *Juris Canonici universi publici et privati libro 2 in Appendice ad titulum Decretalium de Appellationibus.*

§. 40.

DE ADJUTORIBUS SUMMI PONTIFICIS ET PRIMO DE S. R. E. CARDINALIBUS

Hactenus de Primatu Summi Pontificis, ejusque juribus et officiis dictum est. Non omnia tamen et singula ipsius jura et officia enumeravimus, sed aliqua tantum eaque potiora, ex quibus cetera intelligi facili negotio poterunt. Verum hoc loco praetereundi non videntur *Cardinales, Legati a latere, et Nuntii Apostolici*, qui in totius Ecclesiae administratione sunt Romani Pontificis Adjutores. De his itaque breviter dicemus; et primum de nomine, et origine Cardinalium.

Cardinalium nomen antiquissimum est; quivis enim Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui certae alicujus Ecclesiae proprius et ordinarius Minister esset, *Cardinalis* dicebatur, quia eidem Ecclesiae suae tamquam cardo affixus foret, atque ideo Ecclesia circa eum, veluti valva circa cardinem, volveretur. Quare apud ecclesiasticos scriptores saepissime verbum occurrit *cardinandi* seu *incardinandi*, hoc est, certae Ecclesiae perpetuo addicendi. Quod sane vocabulum opportune usurpabatur, ut proprii, et quasi fixi et immobiles Ecclesiarum Ministri seu Pastores ab iis probe distinguerentur, qui veluti *subsidiarii, et adventitii*, vel ad determinatum tempus, aut ob peculiarem causam alicui Ecclesiae addicebantur. Hoc itaque sensu in omnibus passim Ecclesiis praeter Episcopum Cardinalem, id est proprium et ordinarium Episcopum, erant Presbyteri et Diaconi Cardinales, qui Ecclesiis et Titulis

Presbyterorum, aut Diaconorum praeficiebantur. Sed ad Romanam Ecclesiam quod attinet, in ea erant *Tituli*, sive *Ecclesiae*, in quibus sacri conventus fiebant,et Sacramenta administrabantur, ideoque Presbyteris concreditae, unde *Cardinales Presbyteri:* erant et Diaconiae in Urbis regionibus, hospitales nempe domus cum adhaerentibus Sacellis et Oratoriis, Diaconis idcirco commissae, unde *Cardinales Diaconi,* qui etiam *Regionarii* vocabantur.

Nullus autem Romae extabat Cardinalis Episcopus, cum UNUS Romanus Pontifex, tanquam proprius Episcopus Romanam Ecclesiam administraret. Verum in hanc Ecclesiam cooptati postea sunt septem vicinarum civitatum Episcopi; ex quo coepit Cardinalium dignitas illustrior fieri. Id factum est undecimo forte saeculo, quamvis non desint scriptores, qui antiquius tempus assignant, quos inter Thomassinus part. I lib. II cap 116. De hac Episcoporum in Romanam Ecclesiam cooptatione Onuphrius Panvinius in lib. *de Episcopalibus Titulis et Diaconiis* haec habet: *Ecclesiae Lateranensi quae est specialis Sedes Romani Pontificis, propter suam et Episcopi Romani excellentiam, septem Episcopi ex circumvicinis civitatibus assignati sunt, qui suis statis solemnibusque diebus singuli coram Pontifice in eadem Basilica celebrarent divina mysteria, vel Pontifici celebranti assistentes essent.* Hi fuerunt Episcopus Hostienis, Portuensis, Albanensis, Praenestinus, Sabinensis, Tusculanus et S. Rufinae seu Sylvae Candidae, qui et *Episcopi Suburbicarii* vocantur. Verum hodie sex tantum reliqui sunt, postquam Ecclesia S. Rufinae seu Sylvae Candidae Episcopatui Portuensi a Callixto II unita fuit.

Quamquam autem Romanae et aliarum Ecclesiarum Cardinales fuerint nomine et origine pares, attamen Romani Cardinales omnium nobilissimi semper habiti sunt, ideo quod praecipua pars essent Presbyterii Pontificis, seu Cleri Romani, ad quem electiones Summorum Pontificum praecipue pertinebant, eosdemque Pontifices in maximis Ecclesiae negotiis opera et consilio juvabant; quin imo Romanam et universalem Ecclesiam saepius, vacante Sede, administrabant. At gradatim contigit, ut quae initio fuerunt Cardinalium Romanorum cum reliquo Clero communia, deinceps Cardinalibus solis tributa sint; ex quo factum est, ut Cardinales Romani ad tantam amplitudinem evecti fuerint.

In Ecclesia Romana Cardinalium numerus incertus olim fuit et vagus. Ineunte saeculo duodecimo septem *Cardinales Episcopi*, viginti octo *Presbyteri, et* octodecim *Diaconi* fuisse videntur; sed is numerus adeo imminui coepit, ut electioni Nicolai III octo tantum Cardinales interfuerint. Rursus autem in dies adauctus est eorum numerus, praecipue occasione schismatis Avenionensis, cum duo et interdum tres de Pontificatu contendentes, suos quisque Cardinales creabant, qui ejus partibus adhaererent. At Sixtus V Constitutione edita an. 1586, quae incipit *Postquam verus*, decrevit, ne Cardinales in posterum plures essent, quam septuaginta; et altera Const., quae incipit *Religiosa Sanctorum*, eisdem Cardinalibus sex Episcopatus Suburbicarios supra memoratos, quinquaginta Titulos Presbyterales, et quatuordecim Diaconias assignavit.

Cardinales ab UNO Pontifice creantur; Imperatori autem, et aliquibus Regibus privilegium concessum est ad eam amplissimam dignitatem unum vel plures nominandi. Dotes autem eorum, quibus tam insignis praerogativa conferenda est, Tridentina Synodus recenset sess. 25 cap. 1 de reform.

§. 41.

DE OFFICIO ET DIGNITATE CARDINALIUM

Duo autem sunt insigniora Cardinalium munera, quorum primo Sede plena, altero Sede vacante funguntur. Sede plena Senatum Summi Pontificis constituunt, eique in administratione totius Ecclesiae assidue praesto sunt consilio atque opera. Sicut enim antiquitus Romani Pontifices nihil grave, nisi facto Presbyterio, id est, convocato Clero, decernebant, ita modo gravioris momenti negotia, audito Cardinalium consilio, pertractant atque absolvunt. Hinc Tridentina Synodus sess. 26 de reform. cap. 1: *Cardinalium,* inquit, *consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem universalis Ecclesiae administratio nititur.* Ob id muneris Cardinales a S. Bernardo vocantur *Collaterales, Consiliarii,* et *Coadjutores Romani Pontificis.* Igitur non unius Dioecesis aut provinciae, quemadmodum Episcopi seu Archiepiscopi, sed omnium christiani orbis Ecclesiarum cum Romano Pontifice curam gerunt, et Patriarchas, Archiepiscopos, ac reliquos Ecclesiae gradus cum Pontifice ipso judicant, cum ipsi a solo Pontifice judicentur, ut habetur ex Const. Eugenii IV an. 1438 edita, quae incipit *Non mediocri.*

Itaque Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana lib. III. cap. 10. n. 1. agens de Conciliis Generalibus et Nationalibus, quibus Cardinales simul cum Episcopis intersint, primas Cardinalibus supra Episcopos defert: *hi siquidem,* ait, *etsi Episcopali careant charactere, ob eorum tamen officium ac dignitatis praestantiam Episcopis praeferuntur, supra quos sedisse legimus in Concilio Lugdunensi I;* idque allatis aliorum Conciliorum exemplis decretisque summorum Pontificum confirmat. Ast Febronius incredibili audacia clamavit *eo pacto divinum institutum eversum fuisse,* propterea quod Episcopi divinae, Cardinales humanae institutionis essent. Zallwein etiam cum Febronio sentire visus est. Contra quos Febronius abbreviatus cum notis adversus neotericos Theologos et Canonistas tom. IV. §. IX. num. 1. *Episcopi,* ait, *potestate et ministerio potiores, excellentiores sunt: sed nullibi in sacris Scripturis legimus, quod alios praecedere, omnibus praeponi, et extrinseco honore praeferri debeant. Habent ergo Episcopi praecellentiam potestatis et Ministerii, de qua ipsis nihil detrahitur. E contra Cardinales potiorem locum tenent in Consistorio Pontificis, in Congregationibus, in Conciliis etc. ubi nulli actus et functiones hierarchicae intercedunt, idque non ex dignitate potestatis, sed propter officium.* Et num. 4. *An ignorat forte Zallwein atque Febronius quod in Ecclesia Constantinopolitana septem Diaconi Cruciferi, quin etiam Syncelli idest simplices Clerici, aut Monachi familiares et commensales Patriarchae in Synodis loco superiore, et prae Episcopis consederint, ut observat Christianus Lupus in Schol. et Not.*

ad Canon. Conciliorum tom. 2. *pag.* 1474. *et tom.* 3. *pag.* 441? *Cur Legati Pontificis in Conciliis etiam solo Presbyteratu et Diaconatu insigniti prae Episcopis priorem locum occupant, et ante hos subscribunt, quod in antiquissimis Conciliis vidimus? Si hic abusus, si contra institutum Christi est, tunc abusus jam a primis saeculis in utraque Ecclesia Orientali et Occidentali viguisset, et Christi institutum eversum fuisset, sed non ita sentiebant, neque ita rem interpretati sunt veteres Episcopi atque Patres. Tandem oculos ad ipsas Ecclesias Episcopales et Collegia Canonicorum convertant hi viri, dicantque, quare Canonici Diaconi, Subdiaconi, etc. prae Sacerdotibus qui Canonici non sunt, in Choro, in Synodo, in Processionibus, et ubique primum et eminentiorem locum occupent, his ad inferiora subsellia remissis, nisi quia Canonici Collaterales Episcopi dicuntur, et cum eo unum corpus efficiunt?*

Sede autem vacante alterum praestantissimum Cardinalium munus est Romani Pontificis electio. Nicolaus II in conventu Episcoporum Romae habito Cardinalibus permisit Pontificis electionem, veruntamen non vetuit reliquum Clerum, et populum ad electionem accedere. Sed Alexandri III decreto edito in Concilio Lateranensi, quod extat in cap. *Licet* 6 de elect., *Clero omnino, et populo a Pontificis electione exclusis, ea ad Cardinales solos tunc primum redacta est ad evitanda scandala.* Verum de Summi Pontificis electione dicemus infra. Itaque in locum Cleri suffecti sunt Cardinales, tum quia primi et praecipui sunt Episcopi, Presbyteri, et Diaconi

Romanae Ecclesiae, tum quia ecclesiastica negotia optime norunt, et ceteris melius judicare possunt, quisnam sit ad tantum dignitatis fastigium eligendus.

Sed quamvis electio Summi Pontificis ad solos Cardinales pertineat, in eos tamen, Sede vacante, non transit jurisdictio Pontificis, quae a Christo dimanans nonnisi personae eorumdem Pontificum collata est: quare nec regiminis ecclesiastici formam immutare, nec Constitutiones seu leges universales condere, neque canones relaxare ullo pacto valent, sed ea omnia futuro Pontifici reservantur, quemadmodum edixit Pius IV in Bulla, cujus initium *In eligendis*. Cardinalis tamen Poenitentiarii Majoris, et Cardinalis Camerarii officia, atque adeo facultates per mortem Pontificis non expirant, quod ex citata Bulla Pii IV compertum est. Ceterum, vacante Sede, Cardinalium officia atque adeo jura, praeter Summi Pontificis electionem, in eo sunt posita, ut Ecclesiam et temporales ditiones Romanae Ecclesiae tueantur (cap. *Ubi periculum* de electione in 6).

Canonistae solent quaestionem instituere, cuinam jus esset Pontificis eligendi, si ob maximum infortunium Cardinales omnes interirent? Hac de re copiose disserunt Hostiensis in cap. *Licet* verbo *inter Cardinales* tit. de elect. et electi potest., Abbas in idem caput, Pirrhing ad eumdem titulum de electione sectione 9. Bellarminus de Clericis lib. 1 cap. 10. Igitur qui sunt harum quaestionum cognoscendarum cupidi, eosdem Doctores, aliosque ab iis citatos videre poterunt.

§. 42.

DE LEGATIS A LATERE ET NUNTIIS APOSTOLICIS

Superiori §. 33 de variis Legatorum speciebus, nimirum de Responsalibus seu Apocrisariis, de Vicariis Apostolicis, deque Legatis natis seu Primatibus dictum est, simulque animadvertimus, nomen eorum dignitatis permansisse, ipsam vero dignitatem saeculo XV penitus extinctam esse. Igitur a saeculo XV ad nostram usque aetatem in eorum locum suffecti sunt Legati missi, hoc est, *Cardinales a latere Pontificis missi*, et *Nuntii Apostolici*, de quorum munere et potestate verba facturi sumus.

Iam vero Legati a latere, et Nuntii Apostolici in multis potestate pares sunt, sed in multis plane differunt. Pares sunt

1.° Quia utriusque auctoritas ordinaria est ad instar Proconsulum, aliorumque Praesidum, quibus olim Romani certas provincias moderandas committebant (cap. 2 de off. Leg. in 6). Quare auctoritate ordinaria possunt edere statuta, quae perpetuam vim habeant, per textum in cap. *Nemini* de off. Leg., in quo haec habentur: *Nemini dubium esse volumus, quin Legatorum Apostolicae Sedis statuta edita in provincia sibi commissa durent, tamquam perpetua, licet eamdem postmodum sint egressi.*

2.° Quia universas causas, quae per appellationem, vel querimoniam ad eorum audientiam perveniunt, audire possunt et debent (cap. 1 eodem tit.).

3.° Quia ipsorum officium non expirat morte Pontificis, a quo mittuntur (cap. 2 eod. in 6).

Sed Legatus a latere in multis eminet dignitate et auctoritate. Aequum enim est, ut Cardinalis Legatus a latere Pontificis missus ceteris Legatis sive Nuntiis dignitate et jure antecellat. Dignitate quidem eminet, quia, ipso in aliquam provinciam adventante, minorum Legatorum, si ibidem fuerint, auctoritas silet (cap. 8 de off. Leg.). Deinde Apostolicae dignitatis insignibus utitur, eoque praesente, Archiepiscopus, et Patriarcha nequeunt praeferre Crucem (cap. 23 de privileg.).

Praeterea Legatus a latere eminet auctoritate, quia in provincia Legationis suae quoscumque percussores Clericorum absolvit, confert tum Beneficia liberae collationis cum Ordinario concurrens, et inter ipsos datur praeventioni locus, tum etiam Beneficia patronatus ecclesiastici, non tamen laici; et aliis hujusmodi juribus potitur, quae late explicant interpretes ad tit. de off. Leg. in 6.

Haec autem omnia Nuntiis Apostolicis denegantur, tantumque eis licet in sua provincia absolvere sibi subditum ab excommunicatione ob violentam manum injectionem in Clericum. Cetera vero ipsorum jura ex Pontificiis diplomatibus, quibus instruuntur, dignoscenda omnino sunt. Quin imo non solum de Nuntiis Apostolicis, verum etiam de ipsis Legatis a latere certa regula statui nequit, quod ad ipsorum potestatem attinet, cum a Cardinali De Luca discursu 33 ad Conc. Trid. verissime traditum sit, *id totum pendere a tenore facultatum.*

Legatorum potestatem late explicat Giraldus *Exposit. Jur. Pontific. part.* 1 *tit.* 20 *sect.* 170, et passim Interpretes omnes lib. 1 Decretalium ad tit. XXX *de officio Legati.*

CAPUT II.

DE EPISCOPIS EORUMQUE JURIBUS ET OFFICIIS

Apostoli, ut ait Tertullianus de praescriptione adversus haereses cap. 20, *Ecclesias apud unamqamque civitatem condiderunt.* Itaque in singulis Ecclesiis Episcopus positus fuit, qui ipsas regeret. Quamobrem Cyprianus in epist. 59 alias 55 scripsit: *Singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque, et gubernet.* At vero inter ipsos singularium Ecclesiarum Episcopos varii honoris et potestatis gradus constituti sunt. Primum autem dignitatis et honoris gradum obtinent, *Patriarchae*; alterum *Exarchi*, et *Primates* tenent; in tertio *Metropolitae* positi sunt; hos denique *Episcopi* subsequuntur. De his itaque diversis Episcoporum gradibus, deque singulorum graduum juribus et officiis dicere aggredimur. Sed operae pretium est pauca praeponere antequam in diversis hujusmodi explanandis gradibus versemur.

Episcopi sunt Apostolorum successores, ergo eamdem ac Apostoli potestatem habent. Hoc pacto nonnulli Canonistae argumentantur. Quod quidem argumentum si recte se haberet, quot sunt Episcopi, tot essent Apostoli. At

vero falsum est, in Apostolatus potestatem Episcopos succedere, quod facili negotio demonstrabimus.

Apostoli praeter singularia quaedam dona supernaturaralia, veluti miraculorum, linguarum, prophetiae, infallibilitatis, et similia, quibus missionem suam comprobarent, amplissima etiam potestate a Christo donati fuerunt, quam quidem potestatem in tres veluti partes seu species, nempe in potestatem *Apostolatus*, *Sacerdotii* et *Episcopatus* partiri et dividere recte possumus.

Ad Apostolatum pertinet potestas, sine loci ullius aut gentis exceptione, fidem ubique praedicandi, Ecclesias fundandi, Episcopos costituendi, tum Episcopis a se constitutis, tum eorum subditis regulas, praecepta, legesque praescribendi, et cetera ejus generis agendi. Haec autem potestas Apostolatus extraordinaria fuit, et idcirco fundatis ordinatisque Ecclesiis, tamquam completo opere propter quod concessa fuerat, cum Apostolis interiit. *Petri privilegium*, ait De Marca in tractatu de singulari Primatu Petri cap. 8, *reale fuit in Ecclesiae perpetuum commodum, non autem personale, cujus generis erat reliquorum Apostolorum dignitas. Hi namque Ecclesias per varias orbis provincias instituentes, singulas suis finibus circumscriptas, Episcopis propriis regendas committebant, sicque munere a Christo sibi delato fungebantur.* Et Natalis Alexander dissert. IV in saeculum I §. 4 ait: *Cum Apostoli fere omnes fixas sedes non habuerint, Episcopi Apostolorum successores dici non possunt, nisi in genere, ut loquuntur Theologi nostri Polemici, idest dici non possunt speciatim successores Andreae, vel Philippi, quorum auctoritas, cum extraordinaria esset, cum ipsis interiit.*

Sacerdotii potestas, quae in conficiendo Sacrificio et remittendis peccatis versatur, Presbyteros successores habuit; sive, ut verbis utar Tridentinae Synodi sess. 23 cap. 1, *a Domino Salvatore nostro Apostolis eorumque successoribus in Sacerdotio potestas tradita consecrandi, offerendi, et ministrandi Corpus et Sanguinem ejus, nec non peccata dimittendi et retinendi.*

Denique *Potestas Episcopatus* totam ordinis potestatem complectebatur, et simul potestatem peculiares Ecclesias regendi ac gubernandi. In hanc itaque potestatem Episcopi succedunt, quamobrem Tridentina Synodus citata sessione 23 cap. 4 declarat, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut Apostolus ait, *a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.*

Cum igitur Episcopi in singularium Ecclesiarum regimen Apostolis succedant, illud consequitur, potestatem et jurisdictionem Episcoporum intra fines Ecclesiae, ad quam legitime missi sunt, coerceri. *Usu namque,* ait Natalis Alexander citato loco, *etiam ab Ecclesiae incunabulis receptum est, ut certis Ecclesiis singuli Episcopi praeficiantur, ut patet ex Apostolo, ep. ad Titum cap.* 1: *Hujus rei gratia, inquit, reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Sic. etiam Petrus Ep: 1 Cap: 5. ad Episcopos ait: *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Ad Apostolos autem dictum est: *Ite in universum Mundum, praedicate Evangelium omni Creaturæ etc.* Ex his enim verbis constat, Episcopos Apostolorum successores

uni loco addictos fuisse, cujus limitibus eorum potestas coarctaretur. Propterea consuetudo Ecclesiae ab apostolicis temporibus obtinuit, ut Metropolitae et Patriarchae ipsi certas haberent constitutas provincias aut Dioeceses, quas regerent; neque potestatem ullam in alienis Dioecesibus exercere poterant. Hac Ecclesiae consuetudine nitebatur S. Hieronymus adversus Joannem Hierosolymitanum Episcopum. Hinc Concilium Nicaenum inhibuit can. 15, *ne Episcopus a civitate in civitatem transiret*. Porro qua ratione potuit Concilium Nicaenum uni loco Episcopum addicere, cui auctoritate divina in omnes Ecclesias, citra ullam exceptionem, aut limitationem, jus concessum esset? Episcoporum igitur potestas ad omnes omnino Ecclesias non se porrigit.

Praeterea animadvertendum est, Episcopos facta legitima assignatione plebis quamquam legitimi propriique Pastores sint, non tamen plenitudinem potestatis exercere posse. Bossuetus in sermone *de unitate Ecclesiae* ad eam rem comprobandam utitur argumento ab eadem unitate ducto. Sic enim ratiocinatur: *Cum Christus Dominus jurisdictionem universalem et potentiorem* UNI *commiserit, cumque vero eamdem multis aliis communem esse voluerit, necessario sequitur, ut in istis eadem auctoritas subordinata sit: duo enim pluresve Summi Imperantes in uno eodemque potestatis genere independentes omnino repugnant: quae autem a Deo sunt, ordinata sunt.* Et revera Episcopatus ex Cypriani sententia unus est, quemadmodum Ecclesia una est, et proinde pars Episcopatus ab unoquoque Episcopo in solidum tenetur, quatenus unusquisque

Episcopus regit suam peculiarem Ecclesiam, quae totius Ecclesiae pars est. Sunt multi, ut idem Cyprianus loquitur, arboris rami, sed una arbor. At vero si peculiares Episcopi in suis Dioecesibus omnia possent, neque ulli superiori potestati obnoxii essent, tot essent distinctae et *independentes* Ecclesiae, quot Episcopatus, quemadmodum multi arboris rami a radice et reliquo corpore disjuncti unam arborem non efficiunt. Verum hac super re nullus dubitandi locus relinquitur, cum fidei dogma sit, Episcoporum potestatem obnoxiam esse Summi Pontificis auctoritati; ex quo consequitur, ut Sedis Apostolicae et sacrorum canonum decretis Episcopi subesse debeant, eorumque potestas in ejus usu intra quosdam limites restringi et contineri possit.

§. 43.

DE PATRIARCHIS

Quamquam primis Ecclesiae saeculis nomen Patriarchae ignotum fuerit, quod nonnisi sub Concilii Chalcedonensis tempora usurpari coepit, res tamen, seu dignitas eo nomine significata extabat omnino. Namque, ut observat Natalis Alexander Hist. Eccl. saec. IV cap. 5 art. 1, *spectatissimae erant in Ecclesia tres Sedes primariae, quae ceteris eminebant omnibus, quod a S. Petro fundatae essent, Romana scilicet, Alexandrina, et Antiochena. Quarum Episcopi jurisdictione ampliori fruebantur, multisque non modo provinciis, verum etiam Dioecesibus praeerant. De his Nicaeni Concilii I canon* 6 *: « Antiqua consuetudo*

servetur per Aegyptum, Lybiam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et Urbis Romae Episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam ceterasque provincias suis privilegia serventur Ecclesiis». De his et canon secundus Constantinopolitani Concilii : « Secundum regulas constitutas Alexandriae quidem Episcopus ea quae sunt in Aegypto, tantum gubernet : Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus primatus Ecclesiae Antiochenae, qui in regulis Nicaenae Synodi continentur». Romani Patriarchae non meminit, quia nulli praescribi poterant ipsi limites ; cum ejus jurisdictio et auctoritas in totum orbem christianum funderetur.

Hactenus Natalis Alexander, cui Doctores omnes facile concedunt, Ecclesias patriarchales Romanam, Alexandrinam, et Antiochenam a S. Petro fundatas fuisse ; dant quoque libenter, Principis Apostolorum institutionem ad conciliandam eisdem Ecclesiis quamdam auctoritatem et splendorem plurimum valuisse. Sed contendunt, jura et privilegia patriarchalia, quibus Alexandrina et Antiochena Ecclesiae auctae fuerunt, ex sola Petri fundatione originem non habuisse, neque etiam habere potuisse. Namque Apostolica fundatio Ecclesiam *Apostolicam* facit, non *patriarchalem* ; hinc plures alias Ecclesias Petrus fundavit rexitque, nec tamen patriarchales habitae sunt ; sic etiam Ecclesiae ab Apostolis fundatae dictae sunt *Apostolicae*, non item *patriarchales*. Enimvero ad patriarchalem Ecclesiam constituendam necesse est, ut eadem Ecclesia tum super Ecclesias, tum super Metropolitas non unius, sed

plurium provinciarum insignibus privilegiis et juribus augeatur.

Quaeritur itaque undenam jura et privilegia patriarchalium Sedium orta sint? De Marca, Valesius, Pagius, Allatius, Thomassinus, aliique doctissimi viri primam patriarchalis potestatis originem Apostolicae institutioni, hoc est, S. Petro attribuunt; contra vero Dupinius, aliique praesertim recentiores Canonistae non Apostolis, sed antiquis Ecclesiarum moribus acceptam referunt. Nos pro instituti nostri ratione argumenta utriusque sententiae breviter indicabimus.

Itaque Doctores, qui Patriarcharum originem a receptis Ecclesiarum moribus derivant, ita ratiocinantur. Quum Ecclesia Alexandrina, et Antiochena plurium provinciarum essent capita, ad quas proinde ceteri Episcopi negotiorum causa frequentes conveniebant, quum etiam ab iisdem Sedibus lux evangelicae veritatis circumstantibus provinciis refulserit, hinc factum est, ut earum Episcopi veluti Parentes aliarum Ecclesiarum haberentur, et progressu temporis, Episcopis non repugnantibus, quaedam sibi jura super alias Ecclesias vindicarent. Rem vero ita se habuisse satis compertum esse existimant ex canone 6 Concilii Nicaeni, qui est hujusmodi: *Antiqui mores serventur in Aegypto, Lybia, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem.* Verba enim ANTIQUI MORES SERVENTUR arbitrantur satis ostendere non jus novum a Concilio conditum, sed veterem consuetudinem, qua jus patriarchicum nitebatur, confirmatam esse. Concludunt igitur Patriarcharum potestatem moribus et con-

suetudine primum inductam, postea Conciliorum decretis constabilitam.

Alterius sententiae patroni in primis ajunt, Concilii Nicaeni canonem Dupinio suisque asseclis minime favere. Nam quaestio est de prima patriarchalium jurium origine, de qua ne verbum quidem in eo canone; in eoque tantummodo agitur de constituendis finibus, intra quos Patriarcharum potestas in posterum contineretur. Igitur ea verba ANTIQUI MORES SERVENTUR ad fines Patriarchatuum designandos, non vero ad originem patriarchalium jurium demonstrandam pertinent.

Quibus positis, ex notissima S. Augustini regula lib. IV de Baptismo contra Donatistas cap. 24: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*, legitime inferunt, patriarchalia jura, cum adeo antiqua sint ut eorum origo non appareat, neque a Conciliis instituta, sed semper in Ecclesia retenta fuerint, non a moribus et antiqua Ecclesiarum consuetudine, bene vero ab institutione Apostolica profecta esse.

Quae quidem sententia videtur nobis probabilior esse, et quasi certa, eo vel maxime quod in scriptis Sanctorum Patrum passim legimus, patriarchales Sedes a Petro *condecoratas* et *sublimatas* fuisse; quibus verbis aperte significatur, ea omnia privilegia potestatemque, quibus insignitae fuerunt, ab ipso Petro, non aliunde accepisse. Verum hoc loco praeterire non possumus haec verba S. Leonis Magni in epist. XIV ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum: *Inter beatissimos Apostolos in simi-*

litudine honoris fuit quaedam discretio potestatis; et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent; sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo Capite dissideret. Igitur Apostoli Metropolitas in singulis provinciis, et in majoribus urbibus Patriarchas instituerunt, sequuti exemplum ipsius Christi, qui regimen Ecclesiae suae ita constituit, ut Petrus Apostolis, et Petri Successores ceteris Episcopis auctoritate praeessent.

De his uberius et fusius disserunt Petrus De Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib.* 1 *cap.* 3 §. 7, Thomassinus *Vet. et nov. Eccles. discipl. part.* 1 *lib.* 1 *cap.* 7 *et* 8, Pagius *Critica ad an.* 97, Dupinius *Discipl. Eccles. diss.* 1 §. 8.

De origine Patriarcharum reliquae duae sunt opiniones, de quibus non valde laborandum est, cum solido fundamento careant. Prima est Launoji, qui in sexto canone Concilii Nicaeni actum esse contendit de jure metropolitico, non vero de jure patriarchico, quia canon Metropolitas nominat, non Patriarchas; ex quo consequeretur, Patriarchatum non modo Ecclesiarum Antiochenae, et Alexandrinae, verum etiam Ecclesiae Romanae in universum Occidentem eo Concilio recentiorem esse.

Launojo respondet Natalis Alexander Hist. Eccl. saec. IV dissert. 20 propos. 1, *nomen Patriarcharum post Nicaenae Synodi tempora invaluisse, sed rem ipsam nihilominus extitisse ante Concilium Nicaenum. Natura enim ita comparatum est, ut nomina rebus ipsis posteriora sint...... Canon sextus Nicaenae Synodi Metropolitanos nominat, non Patriarchas: quoad proprium nomen concedo, quoad rem ipsam nego.* Et revera Nicaenum canonem de Patriarchis loquutum esse, sic probat initio ejusdem dissertationis: *Episcopi, qui Dioecesim, id est, multas provincias regunt, non sunt Metropolitani simplices, sed Patriarchae; atqui canon sextus Nicaeni Concilii agit de Episcopis, qui regunt Dioecesim, id est, multas provincias, et quibus subsunt plures Metropolitani; non agit igitur de simplicibus Metropolitanis, sed de Patriarchis. Agit enim hic canon de Alexandrino Episcopo, cui Aegypti, Libyae, Pentapoleos, Thebaidis, Mareotae, Ammoniacae, et Mareotidis provinciae parebant, ut ex Sancto Epiphanio haeresi 68, et ex illo canone colligitur, et cui decem ad minus Metropolitae suberant, ut colligitur ex epistola Theodosii Imperatoris ad Dioscorum, quae refertur in Concil. Chalcedon. actione prima. Agit de Antiocheno Episcopo, cui subjiciebantur omnes Orientis provinciae, ut colligitur ex Sancto Joanne Chrysostomo homilia 3 ad populum Antiochenum, et ex Sancto Hieronymo in epistola ad Pammachium: Asiana, Pontica, et Thracica, Dioecesibus exceptis, quae ab Exarchis suis administrabantur una cum suis Synodis, ut constat ex canone* 11 *Synodi Constantinopolitanae Oecu-*

menicae II. Agit denique de Romano Episcopo, qui toti Occidenti praeerat, ut colligitur ex Sancto Basilio epistola 10, *ex Sancto Augustino lib.* 1 *contra Julianum cap.* 2, *ex Sancto Hieronymo in epistola ad Marcum et in lib. adversus Vigilantium, et ex Innocentio I in epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum. Agit, inquam, de Romano Pontifice, cui septem vel octo Dioeceses subjiciebantur, nimirum duae in Italia, solidum Illyricum, quod ex una Dioecesi postea in duas discerptum est, Galliae, Britanniae, Hispaniae, et Africa. Itaque canon sextus Nicaeni Concilii agit de Episcopis, qui Dioecesim regunt, id est multas provincias, et quibus subsunt plures Metropolitani : ac proinde non agit de simplicibus Metropolitanis, sed de Patriarchis.*

Altera opinio eorum est, qui censent, Patriarchas et Metropolitas jure divino institutos. Opinio omnino falsa; nam catholici Doctores omnes consentiunt, graduum et potestatis inter Episcopos distinctionem a Christo institutam non esse, adeoque Episcopos divino jure esse pares inter se ordine et potestate. *Ratum illud*, ait Thomassinus de vet. et nov. Eccl. discipl. p. 1. lib. cap. 7, *certumque est, jure divino niti Principatum Episcoporum in privatis Dioecesibus, tum Papae super Episcopos omnes orbis: cum Metropolitanorum, Exarchorum, Patriarcharumque auctoritas ecclesiastica ab institutione originem ducat.* Quare Dupinius de antiq. Eccl. discipl. diss. 1 §. 6: *Metropoliticam*, inquit, *aut patriarchicam dignitatem a Christo institutam fuisse, merum commentum est, quod ne verisimilitudinis uidem umbram habet.*

Patriarchis Alexandrino et Antiocheno duo postea Pàtriarchae accesserunt. Nam Antistites Constantinopolitani auctoritate Synodi Constantinopolitanae I, et subreptitio canone 28 Synodi Chalcedonensis fulti cum Romanis Pontificibus de patriarchali dignitate diu et pertinaciter concertarunt. Denique Apostolica Sedes tum eamdem Ecclesiam Constantinopolitanam, tum etiam Ecclesiam Hierosolymitanam eo insigni titulo in Concilio Chalcedonensi jam donatas Patriarchatus honore et juribus exornavit. Innocentius autem III in Concilio Lateranensi IV hunc dignitatis ordinem inter Patriarchas constituit; *ut post Romanam Ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat.*

§. 44.

DE PATRIARCHARUM JURIBUS

Inter Jura Patriarcharum tria erant praecipua. Primum erat jus consecrandi Metropolitas, eisque pallium tribuendi, postquam tamen ipsimet Patriarchae a Romano Pontifice pallium accepissent. Ordinationes vero Episcoporum ad Metropolitas pertinebant. Verum hac in re non una eademque obtinuit ubique disciplina: nam Patriarcha Alexadrinus peculiari jure fruebatur non modo Metropolitas, sed cunctos etiam sui Patriarchatus Episcopos confirmandi consecrandique. Hinc per Nicaenam Synodum damnata est Meletii Lycopolitani Episcopi audacia, propterea quod per provincias Aegypti, quarum Meletius Metropolitanus erat, Episcopos ordinasset, eoque pacto sibi jus arrogasset, quod ad Patriarcham Alexandrinum pertinebat.

Alterum Patriarcharum jus erat, ex provinciis sibi subjectis Synodos cogere, eisdemque praesidere.

Tertium erat a Metropolitarum judiciis appellationes accipere.

Erant praeterea Patriarchis alia jura, jus ex. gr. canones ad universam Ecclesiam spectantes Metropolitis et Episcopis patefaciendi, jus enormium criminum veniam sibi reservandi, jus Stauropegii, et alia ejusdem generis, quae apud canonicae rei interpretes, et praesertim apud Thomassinum de vet. et nov. Eccl. discipl. part. 1 lib. 1 cap. 9, et lib 11 cap. 58, et apud eruditum Auctorem dissertationis *de Patriarchis* Romae ann. 1776 editae, abunde descripta atque illustrata inveniuntur.

Enunciati quatuor Orientis Patriarchatus jamdudum extincti sunt, una permanente Romana Sede, quae perpetuo stabit in ea petra, in qua divinitus fundata est. At ex ruinis Patriarchatuum Orientalium pro sectarum multitudine et varietate multi Patriarchae emerserunt, inter quos Antiochenus Patriarcha Graecorum Melchitarum, Patriarcha Antiochenus Maronitarum, Antiochenus Patriarcha Syrorum, Patriarcha babylonensis nationis Chaldaeorum in Mesopotamia, et Patriarcha Ciliciae Armenorum, qui catholici sunt, communionem et gratiam Apostolicae Sedis habentes. Hisce Patriarchis eadem fere jura, quibus Patriarchae antiqui fruebantur, Apostolica Sedes largiri solet. Sed necesse est, ut novus quisque Patriarcha ad praescriptas formulas et catholicam fidem profiteatur, et sacramentum fidelitatis praestet, tum suae electionis confirmationem, et pallium a Romano Pontifice consequatur. Vide Constitut. Benedicti XIV *Nuper ad Nos* datam die 16 martii 1743.

In Ecclesia Occidentali sunt alii Patriarchae *minores* dicti, videlicet Patriarcha Venetus, Ulyssiponensis, et Indiarum, qui

Romanae Sedis privilegio Patriarcharum nomine donati fuerunt, jurisdictione tamen Metropolitas non superant.

§. 45.

DE EXARCHIS PRIMATIBUS ET ARCHIEPISCOPIS

Tres in Ecclesia Orientali Exarchi extiterunt, Ephesinus, Heracleensis, et Caesareensis. Hi fere omnia Patriarcharum jura exercebant, paulo quidem Patriarchis inferiores, Metropolitis tamen diginitate superiores. Sed jamdudum interierunt; quandoquidem ex eorum provinciis Patriarchatus Constantinopolitanae Ecclesiae erectus fuit.

Primates initio vocati fuerunt Episcopi, qui principem locum aliquem in Ecclesia tenerent. Sic Romanum Pontificem legimus totius Ecclesiae Primatem interdum vocatum esse; et Concilium Chalcedonense act. 16; *Ecclesia Romana,* inquit *semper habuit Primatum.* Et in eodem Concilio Patriarcha vocatur Primas Dioeceseos. In Africa Metropolitae vocabantur Primates, seu primae Sedis Episcopi; id quod ex cap. 19 collectionis Africanorum Conciliorum manifestum est. Prima autem Sedes in provinciis Africae non erat alicui Ecclesiae affixa, sed jus metropoliticum, seu Primatus, de civitate alia in aliam transferebatur, et semper Episcopo, qui non aetate, sed ordinatione senior esset, tribuebatur; excepta Carthagine, cujus Episcopus provinciae Africae sic dictae firmiter Metropolita seu Primas habebatur. Extra quoque Africam Metropolitae Primates provinciae dicebantur. In Concilio Bracarensi I can. 6 haec habentur: *Item placuit, ut conser-*

vato Metropolitani Episcopi Primatu ceteri Episcoporum secundum suae ordinationis tempus alius alio sedendi deferat locum. Et S. Leo Magnus ep. 53 ad Anatolium CP. Episcopum scribit: *Non convellantur provincialium jura Primatuum, nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites.*

Primates vero peculiari et proprio nomine appellantur Episcopi earum Sedium episcopalium, quibus Sedibus Vicariatus Apostolici dignitas quondam adnexa fuit: hujusmodi sunt Arelatensis, Lugdunensis in Gallia, Moguntinus in Germania, Toletanus in Hispania, Pisanus in Italia, aliique. His modo solum honoris nomen sine ulla potestate relictum est: qua de re supra diximus §. 44.

Quod denique ad Archiepiscopos attinet, S. Isidorus Hispalensis in tract. *de Etymologiis* cap. 12, ex quo sumptus est can. *Clericus* dist. 21: *Archiepiscopus,* inquit, *graeco dicitur vocabulo, quod sit summus Episcoporum: tenet enim vicem Apostolicam, et praesidet tam Metropolitanis, quam Episcopis.* Modo autem Archiepiscopus, et Metropolita idem sonant, neque amplius duae sunt distinctae dignitates, sed una eademque: quin imo si contingat ut Archiepiscopus nullos Episcopos Suffraganeos habeat, neque est, neque Metropolita dici poterit.

Confer Daude S. I. *in Hierarch. cap. 4.*

§. 46.

DE METROPOLITIS

Metropolita est civitatis Metropolis, sive civitatis in provincia principis, Episcopus qui toti provinciae praeest. De Metropolitarum origine Doctores disputant, num scilicet ea dignitas ab Apostolis, an post eorum aetatem ab Ecclesia instituta fuerit. Nos eorum sententiam firmiter tenemus, qui Apostolos arbitrantur metropoliticae dignitatis auctores extitisse. Hujus Apostolicae institutionis specimen, illudque perspicuum, exhibet factum S. Pauli Apostoli, qui Titum toti insulae Cretae, et Timotheum toti provinciae Asiae praefecit. Hac tamen de re non attinet plura dicere, namque argumenta, quae ad ostendendam Apostolicam Patriarcharum originem jam attulimus, hanc nostram sententiam mirifice confirmant.

Porro Metropolitae ex vigenti disciplina, et praesertim ex Tridentinae Synodi decretis in omnes suae provinciae Episcopos jurisdictionem habent. Magna quidem fuit olim Metropolitarum auctoritas in suos Episcopos Suffraganeos; namque Episcopi suffraganei apud suos Metropolitas accusari debebant, can. 7 Concilii Carthaginiensis III, quin imo ab eis excommunicari poterant (cap. 52 *de sent. excommun.*). At vero Concilium Tridentinum judicialem Metropolitarum potestatem imminuit; nam cap. 8 sess. 13 de reform., et plenius sess. 24 cap. 5 decrevit, ut *causae criminales graviores contra Episcopos, quae depositione aut privatione dignae sint, ab ipso tantum Summo Romano Pontifice cognoscantur et terminentur. Minores*

vero criminales causae Episcoporum in Concilio tantum provinciali cognoscantur et terminentur, vel a deputandis per Concilium provinciale. Quia vero de causis civilibus Episcoporum nihil in eodem Concilio statutum fuit, idcirco ex communi Canonistarum sententia permanet jus antiquum, quo sancitum est, ut civiles Suffraganeorum causae apud Metropolitas agantur.

Metropolitis integrum est tertio quoque anno Episcopos provinciae ad Concilium provinciale convocare, et non obedientes poenis coercere.

Demum Metropolitae suorum Suffraganeorum negligentiam supplent, eosque tum ad servandam residentiae legem compellunt, tnm ad seminaria erigenda.

Sed Metropolitae in Dioeceses Suffraganeorum nulla jurisdictione pollent, nisi *in appellatione, in sacra visitatione*, et *in devolutione*. Primo itaque in *appellatione;* namque jus dicunt inter eos, qui a sententia Suffraganeorum ad eos, provocant. Secundo in *visitatione ;* olim Metropolitae, utcumque ita res postulare sibi videbatur, Dioeceses Suffraganeorum lustrare poterant (cap. 1 de cens. in 6). At Synodus Tridentina huic rei modum quemdam constituit, ut nimirum *a Metropolitanis, etiam post plene visitatam propriam Dioecesim, non visitentur cathedrales Ecclesiae, neque Dioeceses suorum Comprovincialium, nisi causa cognita et probata in Concilio provinciali* (sess. 24 cap. 3 de reform.). Tertio denique *in devolutione;* si enim Capitulum cathedrale intra octo dies ab Episcopi obitu Vicarium capitularem eligere neglexerit, facultas eumdem Vicarium constituendi ad Metropolitam devolvitur.

Vide Usserium *de origine Episcoporum et Metropolit.*, De Marca *de concord. Sacerd. et Imper. lib.* 6 *cap.* 4 . 5, et Thomassinum *de vet. et nov. Eccl. discipl. lib.* 1 *part.* 1 *cap.* 2

§. 47.

DE CRUCE ET PALLIO

Insignia Patriarcharum, Primatum, et Metropolitarum sunt CRUX, quae ipsis praefertur, et PALLIUM, quod super vestes pontificales defertur. De more praeferendae crucis disserit Thomassinus de vet. et nova Eccl. discipl. p. 1 lib. II cap. 8, et denique concludit, *praelatas esse cruces Pontificibus primum Romanis, inde Legatis pontificiis, ac denique Archiepiscopis, quod nemini non persuasissimum esset, nusquam eos procedere, nusquam progredi, nisi ad Christi crucem imperiumque aut constabiliendum, aut propagandum.* Hoc insigne primum a Sede Apostolica suis Legatis, deinde Patriarchis, postea Primatibus, demum aliquibus Archiepiscopis concessum est. Aetate vero Clementis V jus praeferendae crucis Archiepiscopi omnes obtinuerant; id quod manifestum est ex Clementina II de privilegiis: *Archiepiscopo per quaevis loca exempta suae provinciae facienti transitum, aut ad ea forsan declinanti, ut crucem ante se libere portare faciat..... sacro probante Concilio, praesentis Constitutionis serie duximus concedendum.*

Origo pallii antiquissima, sed incerta. Quidam arbitrantur, pallium nihil aliud initio fuisse, quam imperiale indumentum, quod Constantinus Magnus, aliique Impera-

tores Romanis Pontificibus et Patriarchis concesserunt; et processu temporis factum esse, ut veluti sacrum ornamentum, et plenitudinis officii pontificalis symbolum haberetur.

Aliqui contra putant, S. Linum, qui ann. 69 Summum Pontificatum tenuit, auctorem pallii extitisse: liber vero pontificalis tradit, S. Marcum Pontificem instituisse, *ut Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum Urbis, pallio uteretur.* Quae quidem opinio, quoniam apocryphis et imbecillibus monumentis nititur, plerisque omnibus non probatur.

Verum ex opinionum discrepantia satis intelligitur, certum monumentum nullum extare, quo vera origo pallii perspecta, planeque cognita habeatur. Illud vero certum est, quod veteres scriptores omnes, qui de pallio loquuti sunt, non illud ornamentum profanum, sed sacram vestem, signumque rei sacrae fuisse testantur: quae testimonia faciunt contra opinionem eorum, qui pallium Imperatoribus acceptum referunt. Sic acta Metrophanis Patriarchae Constantinopolitani apud Photium biblioth. cod. 256 referunt, eum, postquam senio confectus rogante Constantino Magno successorem Alexandrum sibi designaverat, pallium in sacra mensa deposuisse, ut successori traderetur. Igitur pallium regnante etiam Constantino Magno, quem primum ejusdem auctorem ostentant, inter sacras vestes recensebatur. Saeculo vero V Isidorus monachus et Presbyter Ageyptius lib. I epist. 136 haec habet: *Episcopi pallium, non e lino, sed e lana confectum, ovis pellem denotat, quam aberrantem quaerens Dominus in*

proprios humeros sustulit. Episcopus enim Christi typum gerens illius munere fungitur, et omnibus ipso habitu ostendit, se boni et magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates ferre voluit. Atque attende sedulo: cum enim verus ipse Pastor accedit, apertis venerandis evangeliis, et assurgit Episcopus, et imitationis vestem deponit. Et Symmachus Pontifex ineunte saeculo VI in epistola ad Theodorum Laureacensem Episcopum ita scribit: *Idcirco pallio, quod ex Apostolica caritate tibi destinamus, quo uti debeas secundum morem Ecclesiae tuae, solerter admonemus, pariterque volumus ut intelligas, quia ipse vestitus, quo ad missarum solemnia ornaris, signum praetendit crucis, per quod scito te cum fratribus debere compati, et mundialibus illecebris in affectu crucifigi.*

Pallium intra tres a consecratione menses petendum est a Summo Pontifice consueta formula, hoc est, INSTANTER, INSTANTIUS, INSTANTISSIME; propterea quod, ut S. Gregorius Magnus ad Brunichildam Reginam scribit cap. *prisca* dist. 100; *Honor pallii nisi fortiter postulanti dari non debet.* Electus autem Archiepiscopus petere debet per se ipsum, si Romae adsit, per procuratorem vero, si absit; neque pallium ei conceditur, nisi prius fidelitatem et obedientiam erga Summum Pontificem jurejurando spoponderit. *In Archiepiscopis illud est peculiare,* inquit Benedictus XIV de Synod. Dioec. lib. II cap. 5, *quod ne per consecrationem quidem assequantur plenitudinem officii sui, nisi pallium receperint a Romano Pontifice, ex cap. Nisi specialis de auctoritate et usu pallii; non quod pallium aliquid superaddat consecrationi quoad Ordinis potestatem, sed quia liberum praebet accepti Ordinis exercitium, et archiepiscopalis muneris quamdam*

veluti perfectionem affert, et complementum. Itaque Metropolita ante pallii receptionem neque se Archiepiscopum nominare, neque Synodum provincialem indicere potest, neque chrisma conficere, neque dedicare Basilicas, neque ordinare Clericos, neque Episcopos consecrare (cap. 28 *Super eo* de elect.).

Solus Romanus Pontifex semper et ubique pallio uti potest; ceteri nonnisi intra fines suae jurisdictionis, et statis certisque diebus, de quibus Pontificale Romanum part. 1 tit. *de Pallio.*

Pallium semel acceptum Personae sic inhaeret, ut alteri commodari non possit, nec transit ad haeredes dignitatis, neque Archiepiscopus ab una ad aliam Sedem translatus pallium secum defert, sed novum semper petendum est; et ubi Archiepiscopus obierit, pallium seu pallia, si plura acceperit, cum eo humanda sunt.

§. 48.

DE EPISCOPIS

Superest modo ut sermonem de Episcopis instituamus. Ex instituti nostri ratione videndum nobis est, quae sint jura et officia Episcoporum propria, quaeque singuli Episcopi in sua quisque Dioecesi exercere possint, et etiam debeant. Praecipua hujusmodi officia posita sunt *in docendo, in curando cultu divino, et recta Sacramentorum administratione*, ceterisque id genus, de quibus dicturi sumus; jura vero sita sunt *in jubendo, judicando, puniendo, dispensando, et administrando.* Quae quidem jura et officia pertinent quoque ad Patriarchas, Primates, et Archiepiscopos, quippe qui, etsi Episcopis suffraganeis et provinciis praesint, iidem tamen habent suam peculiarem Ecclesiam, quam sicut Episcopi regunt.

Episcopi *Titulares* in eodem ac ceteri Episcopi dignitatis gradu locati sunt; in consecratione siquidem characterem episcopalem, eique adnexam potestatem, uti veri Episcopi, recipiunt; tantummodo, cum propriam Dioecesim non habeant, ejus potestatis usu, et jurisdictione privantur. Obtinent quidem alicujus cathedralis Ecclesiae titulum, veruntamen sine jure administrandi. Vocantur etiam Episcopi *in partibus Infidelium*, propterea quod exornantur titulo alicujus earum Ecclesiarum, quae sub jugo Infidelium gemunt, quod factum est, ne memoria antiquae dignitatis earumdem Ecclesiarum penitus oblitteretur.

In ecclesiasticis historiis non desunt vetusta exempla Episcoporum, qui solius honoris causa Episcopi consecrati fuerunt. Nunc vero non creatur Episcopus sine titulo. Hujusmodi tamen Episcopi veluti inertes inutilesque contemnendi non sunt; eorum enim opera Summi Pontifices saepius utuntur, eo quod aliqua sunt munera, quae decentius Episcopo committuntur, quam Presbytero; praeterea Suffraganei sive adjutores dantur Episcopis, qui per semetipsos ob senium, aut malam valetudinem, aut propter Dioecesium amplitudinem ordinationibus, aliisque functionibus sacris operam dare nequeunt.

In Episcoporum numero *Chorepiscopos* habendos esse putarunt Henricus, Hammondus, Guillelmus, Beveregius, et alii, idque ob eam praesertim causam, quia Athanasius in apolog. contra Arian.: *Mareotes,* inquit, *regio est Alexandrina, in qua nunquam Episcopus fuit aut Chorepiscopus, sed universae illius regionis Ecclesiae Alexandri-*

no parent Episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent maximos, qui decem circiter sunt, imo plures numero. Ex quibus nempe verbis cum Presbyteri ab Episcopis et Chorepiscopis discernantur, statim concluserunt, Chorepiscopos eosdem ac Episcopos fuisse.

Alii vero rati sunt, Chorepiscopatum fuisse Ordinem sacrum ab Episcopatu et Presbyteratu plane distinctum, quia in can. 2 Concilii Chalcedonensis sic decernitur: *Si quis Episcopus per pecuniam ordinaverit Episcopum vel Chorepiscopum, aut Presbyterum vel Diaconum, vel quemlibet de his, qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias Dispensatorem, aut Defensorem, vel Mansionarium, vel quemquam omnino, qui subjectus est regulae, proprii gradus periculo subjacebit.* Ex hoc siquidem canone videtur Chorepiscopatus inter sacros Ordines numerari, qui per ordinationem seu manuum impositionem conferuntur, dum eodem canone ecclesiastica officia, quae per promotionem, et non per ordinationem tribuuntur, seorsum ab Ordinibus recensentur. *Erit ergo*, ait Thomassinus de nov. et vet. Eccl. discipl. p. 1 lib. 2 cap. 1, *si his stare volumus, Chorepiscopatus unus e sacris Ordinibus, atque adeo divinae institutionis. At hoc* (prosequitur idem Auctor) *cum ejus novitate aut aevi brevitate consistere minime potest. Non Chorepiscopos tria priora saecula habuere, nullos postrema.*

Nos itaque in eorum sententiam libenter imus, qui Chorepiscopos putant Presbyteros fuisse; 1.° quia Chorepiscopi ex canone 10 Concilii Antiocheni ab uno tantum civitatis Episcopo ordinabantur, Episcopi vero a tribus

Episcopis consecrandi erant; 2.° quia Episcopos in vicis et pagis constituere canones vetabant, contra vero Chorepiscopi non alibi, quam in vicis constituebantur; 3.° quia Chorepiscopi a Neocaesariensi Synodo ad similitudinem septuaginta discipulorum instituti dicuntur, at Episcopi non discipulorum modo, verum etiam Apostolorum successores semper habiti sunt.

Erant tamen Chorepiscopi non exiguae dignitatis, quia in pagis et oppidis Episcoporum vices gerebant; adeoque Chorepiscopi dicti sunt quasi *ruris Episcopi*, eosque Vicarios Episcoporum appellavit Synodus Neocaesariensis anno 314 cap. 3: *Vicarii*, inquit, *Episcoporum, quos Graeci Chorepiscopos vocant*. Praeerant ruris Presbyteris et Ecclesiis, easque visitabant, Clericis ruralibus in aliam Ecclesiam abeuntibus dabant litteras dimissorias, Subdiaconos aliosque minores Clericos ordinabant; quin etiam si episcopali charactere insigniti fuissent (quandoquidem Chorepiscopi interdum eligebantur, qui jam Episcopi erant), Presbyteros quoque et Diaconos consecrabant, ex delegatione tamen, seu consulto prius Urbis Episcopo, cui *Chorepiscopus subjicitur ipse et regio*, ut statuit Synodus Antiochena. In civitate coram Episcopo et urbanis Presbyteris poterant sacris operari, quod ceteris ruris Presbyteris non licebat. Denique nonnulli Chorepiscopi interdum sederunt in Synodis generalibus, et suffragium tulerunt, non quidem ratione Chorepiscopatus, sed potius vel delegatione, vel substitutione in locum absentium Episcoporum, vel ex Ecclesiae indulgentia, vel demum ratione Ordinis episcopalis, quo, ut diximus, aliqui Chorediscopi ornabantur.

Cum vero Chorepiscopi tot muneribus decorati intra potestatis suae limites non se continerent, cumque nec canones Conciliorum, neque Decretales epistolae Pontificum, quibus Chorepiscoporum coercebatur insolentia, satis fuissent ad eos in officio continendos, factum est ut ipsorum ordo penitus extinctus fuerit.

§. 49.

DE OFFICIO DOCENDI

Primum et praecipuum munus Episcoporum est, populum docere res omnes, quae ad aeternam salutem conducunt, et curare diligentissime, ut depositum fidei morumque praecepta incorrupte atque integre serventur. Quia vero ad Religionis, vitaeque integritatem custodiendam, conservandamque maxime accommodata, atque utilis est praedicatio verbi Dei, idcirco Tridentina Synodus sess. 5 cap. 2 de reform. statuit; *omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et omnes alios Ecclesiarum Praelatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum.* Porro ad Episcopum spectat concionatores designare ac mittere, qui in sua Dioecesi divinum verbum annuncient; idcirco praeter Parochos, quibus ad animarum curam semel probatis jus et officium est plebem sibi commissam erudire, nemini permissum est sine venia Episcopi praedicare, ne Regularibus quidem in Ecclesiis suorum Ordinum, nisi benedictionem ab Episcopo acceperint; namque generatim a Tridentina Synodo sancitum est sess. 24 cap. 4 de reform: *Nullus sive Saecularis sive Regu-*

laris etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat.

Praeterea ne doctrina catholica falsis opinionibus, erroribusque depravetur, officium Episcopi est diligenter vigilare, ne quid fidei morumque disciplinae adversum in scholis privatis vel publicis tradatur. Ad eumdem Episcopum spectat in seminariis et collegiis Clericorum magistros designare, aut approbare, eaque praescribere, quae ab ipsis magistris doceantur. Nemini quoque licet librum aliquem, sive aliam quamcumque scripturam *imprimere vel imprimi facere,* ut ait Concilium Lateranense V sess. 10 nisi prius Epicopus librum ipsum expenderit, ejusque edendi veniam scriptis exaratam dederit. Denique Episcoporum est, ex Tridentina Synodo sess. 24 cap. 3 de reform., *sanam orthodoxamque doctrinam expulsis haeresibus inducere.*

Sed Episcopus nequit quaestiones ad fidei morumque doctrinam pertinentes definire. In hanc sententiam Joannes Gersonius de examine doctrinarum consid. 3 haec habet: *Aliquae sunt doctrinae palam haereticae apud omnes; aliae dubiae simplicibus, sed manifestae sapientibus et peritis; tertiae veluti neutrae habentes pro se Doctores cum rationibus in utramque partem probabilibus, nec in una tantum Dioecesi, vel paucis, sed apud omnes christianos, aut longe plurimos. Est ergo veritas, quod in primis et secundis auctoritas inferiorum Praelatorum se extendit, et in suos tantummodo, in tertiis vero nequaquam, quoniam merito dicuntur majores causae fidei propter difficultatem decisionis cum periculo scandali,*

ideo sunt ad Sedem Ecclesiae, vel ad Sedentem in ea referendae.

Quomodo in quaestionibus nondum ab Ecclesia definitis se gerere Episcopi debeant, late explicat Benedictus XIV de Synodo Dioecesana lib. 7 cap. 1, 2, 3 et seqq.

§. 50.

DE RELIQUIS EPISCOPORUM OFFICIIS

Alterum Episcoporum officium est curare divinum cultum, et videre, ne quid peccetur in Sacrificio Missae, in divinis officiis celebrandis, in Sacramentorum administratione, in dierum festorum religiosa sanctaque observantia, in reverentia Ecclesiis sacrisque locis debita.

Praeterea excubandum Episcopo est pro clericalis Ordinis disciplina tuenda, et ubi opus fuerit instauranda, pro laicis in officio continendis, pro moribus emendandis, et pravis usibus tollendis.

Cum vero Episcopi recte fungi muneribus officii sui non possint, nisi *gregi suo invigilent, atque assistant* (Conc. Trid. sess. 23 cap. 1 de reform.), consequens est, ut in Dioecesi residere, sive commorari debeant, neque iisdem liceat in aliis versari regionibus, relicto grege, cui praepositi sunt. Deinde cum officium et sollicitudo Episcopi non in aliquem locum aut partem Dioecesis, sed in totam Dioecesim ipsam feratur, hinc inter praecipua ipsius munera recensetur totius Dioecesis visitatio, quam ipse per semetipsum, vel si legitimo impedimento teneatur, per alium visitatorem obire debet, et *si quotannis pro-*

pter ejus latitudinem visitare non poterit, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se, vel per visitatores suos compleatur. Concil. Trident. sess. 24 cap. 3 de reform.

Denique non postremum Episcoporum officium est Sacrificium offerre pro populo, curamque suscipere pupillorum, viduarum, et eorum qui in paupertate sunt, opisque alienae indigent.

§. 51

DE JURE JUBENDI

Ex cap. *Conquerente* 16 de offic. Judic. Ordinar. Palermitanus, aliique passim Interpretes colligunt omnia jura, quae Episcoporum propria sunt. Nos ex instituti nostri ratione ea tantum jura expendimus, quae ad externum Ecclesiae regimen pertinent. Horum duplex genus est, quorum primum ea jura complectitur, quae ex *contentiosa* jurisdictione fluunt, et nimirum jus jubendi, legesque ferendi, jus cognoscendi definiendique causas, et jus in sontes debitis poenis animadvertendi. Alterum genus ex iis juribus constat, quae ad *voluntariam* jurisdictionem spectant: sunt autem jus dispensandi, et jus administrandi. De quibus omnibus breviter dicendum est, et primum de jure jubendi.

Cum Episcopi *positi sint a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*, nemo catholicorum negat, et Episcopis jus esse jubendi seu ferendi leges, et unumquemque debere sui Episcopi legibus obtemperare. Quocirca Apostolus

fidelem populum monuit: *Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Innumera sunt sanctorum Patrum loca, quae hanc jubendi parendique divinam legem apertissime confirmant, quae omnia in medium proferre et longum esset nimis, et non necessarium.

At vero Episcopus vel in Synodo Dioecesana leges jubet, vel extra Synodum. Apud Canonistas certum est, leges in Synodo latas perpetuas esse, cum sint regulae stabiles communitati propositae, ideoque in suo robore permanere, etiamsi Episcopus supremum diem clauserit; *perpetuas* inquam, non *immutabiles;* namque ab ipsomet legislatore, vel ab ejus successore deleri possunt, vel immutari. Veruntamen in disputatione positum est, an leges ab Episcopo extra Synodum latae, et per simplex edictum promulgatae, post mortem, aut renunciationem, aut translationem ipsius Episcopi adhuc vigeant. Assentimur autem iis qui perpetuas esse affirmant, tum quia ea est natura legis ut sit perpetua, tum quia leges ab Episcopis latae sive in Synodo, sive extra Synodum, vim omnem ab eodem Episcopo accipiunt.

At vero Episcopus leges condere potest, quas ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, et ecclesiasticam disciplinam aut restituendam aut fovendam necessarias et utiles arbitratur. Sic etiam legibus latis corrigit, et emendat, si qua sibi corrigenda, emendandaque esse videantur. Publicas et privatas preces pro Ecclesiae necessitate, aliisque justis de causis indicit; et generatim potest Episcopus ea jubere, quae pro

locorum, personarum, ac temporum ratione ad Dei cultum, et salutem animarum conducunt, et prohibere contraria.

Sed minime potest leges condere, quae Juri ecclesiastico communi adversentur. Siquidem, ut praeclare scripsit Cardinalis Bona in epist. 259 ad Joannem Baptistam Thiersio, *communes Eclesiae leges, ritus, et consuetudines ubique receptae ejus dumtaxat auctoritate tolli vel mutari possunt, cujus est in universam Ecclesiam auctoritas et potestas, alioquin ingens fieret disciplinae, et Hierarchiae ecclesiasticae perturbatio.* Vide Benedictum XIV de Synod. Dioec. lib. 12 cap. 1.

§. 52.

DE JURE JUDICANDI ET PUNIENDI

Regimen Ecclesiae, quod divino jure Episcopis concreditum est, aut nihil, aut certe parum efficax esset, si Episcopi judicandi puniendique potestate carerent. Itaque catholicorum nemo dubitat, quin causae spirituales neque non ad negotia ecclesiastica spectantes, *privative* ut ajunt, ad forum Ecclesiae pertineant. Crimina quoque, quae fidem aut religionem laedunt, solus judex ecclesiasticus cognoscit, et in reos animadvertit.

Sed quoniam de potestate Ecclesiae judiciali et coercitiva dictum est lib. I §. 6 et 7, et deinceps lib. III de causis, quae ad forum Ecclesiae pertinent, singillatim dicendum erit; idcirco satis erit hoc loco admonere causas omnes ad forum ecclesiasticum quoquo modo pertinentes, etiamsi beneficiales sint, itemque matrimoniales,

et criminales ab Ordinariis Locorum in prima instantia cognoscendas atque definiendas esse, quod Tridentina Synodus edixit cap. 20 sess. 24 de reform.

Praeterea sicut in potestate jubendi judicandique penitus insita est potestas *coercitiva,* qua criminosi et contumaces coercentur, ita ab Epscopis virga adhiberi potest, quam minitatus est Apostolus ep. I ad Corinth. cap. 4: *Quid vultis in virga veniam ad vos?* Quin imo si mitiores poenae non prosint, contumaces a communione Ecclesiae abscindi poterunt. At in poenis infligendis ea norma servanda est, quam Episcopis proposuit eadem Tridentina Synodus sess. 13 cap. 1. de reform.

§. 53.

DE JURE DISPENSANDI

Incidunt saepe justae causae, propter quas privati homines aliqua lege solvuntur, *quia,* ut scribit Symmachus Papa in epistola ad Avitum Viennensem, *quod fit praeter regulam, modo sit* EX JUSTA CAUSA, *non infringit regulam, quam sola pervicacia et antiquitatis contemptus laedit. Nam quamvis a Patribus statuta diligenti observatione, et observanti diligentia sunt custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod et ipsa lex cavisset si praevidisset; et saepe crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse praejudiciabilis Ecclesiae videtur; quoniam leges ea intentione latae sunt ut proficiant, non ut noceant.*

Itaque Episcopi in omnibus legibus sive ab se, sive

ab eorum praedecessoribus, vel in Synodo Dioecesana, sive extra Synodum latis dispensare possunt; *omnis enim res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur.* At vero super legibus Summorum Pontificum et Conciliorum generalium, et universim super jure ecclesiastico communi, nulla est Episcopis dispensandi facultas; idque ut ait Garcia part. 2 cap. 5 num. 351, *provenit ex natura rei, quia Episcopus est inferior, et inferior non habet potestatem in superiorem, nec in ejus legem.* Hinc Archiepiscopus Trevirensis ad Imperatorem Josephum II ejus fratrem scite admodum ita scripsit: *Mihi persuadere nullo modo potui, Episcopos originarie potestatem habuisse dispensationes concedendi, quarum ab octodecim retro saeculis ne vel unum datur exemplum.... Nequaquam igitur Summus Pontifex Episcopos dispensandi potestate spoliavit, nec se eadem spoliaverunt Episcopi, cum illa nunquam sint potiti. Idque non a quadam humana reservatione profluit, sed a lege naturali, quae leges superioris ab inferiorum potestate eximit.* Vide Colloquia Doctoris Ingolstadiensis de rebus ad Ecclesiae doctrinam et disciplinam pertinentibus Dusseldorpii 1789.

Haec veritas auctoritate sacrorum canonum confirmatur. Innocentius III cap. 20 *de Electione* manifeste significat, *neminem posse a canone dispensare, qui saltem parem cum latore canonis potestatem non habeat.* Et Joannes XXII *cap. unic. de religios. domib. inter Extravagantes ejusdem Pontificis* palam edixit, *Episcopis non licere quid concedere contra formam Concilii generalis.*

Sunt tamen aliqui eventus, in quibus Theologi passim et Canonistae docent licere Episcopis in jure communi dispensare. Itaque Episcopi non totius Dioecesis vel alicujus Communitatis gratia, sed tantummodo pro privatis personis, justisque de causis jus commune relaxant.

1.° *Ex jure id permittente.* Sic Episcopi potestatem habent dispensationis tribuendae super bigamia similitudinaria cap. 4 *Sane de cleric. conjug.*, et cap. 1 *Qui Clerici vel voventes :* dant veniam filiis illegitimis ad minores ordines et ad unum simplex beneficium *cap.* 1 *de fil. presb. in* 6. *Dispensant in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum*, Concil. Trident. sess. 24 cap. 6 de reform. Eos interstitiorum lege solvunt, qui minoribus vel etiam majoribus ordinibus initiandi sunt, *Conc. Trident. sess.* 23 *cap.* 11 *de reform.* Et qui ad aliquem ordinem, omissis inferioribus, ascenderit, quique *per saltum promotus* dicitur, cum eo si non ministraverit, poterunt Episcopi *ex legitima causa dispensare*, ut inquit Trident. Synod. sess. 23 cap. 13 de reform. Eximunt etiam a lege proclamationum, quae ante matrimonium fieri debent, *Conc. Trident. sess.* 24 *cap.* 1 *de reform. matrim.*

Praeterea Episcopi relaxant tum vota simplicia, si quinque excipias vota, scilicet castitatis, religionis, et trium peregrinationum, quae per *Extravag. Et si Dominici gregis de poenit. et remiss.* Summo Pontifici reservata sunt, tum juramenta, quia, ut ait Tabiena v. *jurare* q.

20, *nullum juramentum est Pontifici reservatum*: verum de his legendi sunt Theologi in tractatu *de Religione.*

2.° *Ex legitima consuetudine.* Idcirco Episcopi dispensant in jejuniis, in festorum observantia, et cum iis, qui jus petendi debitum conjugale jam amiserint. Generatim vero consuetudo legitime praescripta jurisdictionem confert *cap.* 9 *de offic. jud. ordin.*; atque adeo fieri potest, ut Episcopi aliquarum Dioecesium quasdam dispensationes super jure communi licite et valide largiantur, propterea quod ipsorum Decessores eadem potestate usi sunt. Sed praeter ceteras conditiones, quas ea consuetudo comites habere debet, duae sunt praecipuae, quarum prima est ut consuetudo sit, ut ajunt, immemorabilis, aut saltem centum annos sine ulla intermissione perstiterit; altera est ut *per eam ecclesiasticae disciplinae nervus non dirumpatur.* Confer Bened. XIV de Synod. Dioec. lib. 9 cap. 2.

3.° *Ex praesumpta et interpretativa Pontificis delegatione.* Hinc Episcopus relaxare potest *occultum* impedimentum, propter quod matrimonium publice contractum non consistit; imo non desunt magni nominis auctores, qui Episcopo facultatem asserunt auferendi occultum dirimens impedimentum, quod matrimonio contrahendo obsit, si tales urgeant circumstantiae rerum, ut neque Summus Pontifex consuli, nec matrimonium sine scandalo et infamia differri possit. In eo siquidem rerum eventu, si ad tot mala praecavenda non alius suppetat modus, praesumi debet Summum Pontificem ex suavi et provida Ecclesiae gubernatione dispensandi facultatem Episcopo delegare.

4.° Denique *ex speciali delegatione.* Interdum enim Pontifices quasdam dispensandi facultates Episcopis conferunt. De quibus nihil attinet dicere, nisi quod earum limites praetergredi nunquam licet.

Existunt autem duae quaestiones valde graves, quarum prima est, utrum *in dubio* Episcopo liceat dispensare. Plurimi Doctores affirmant tum ex natura reservationis, quae odiosa est, adeoque restringenda, tum ex natura jurisdictionis Episcopalis, cui in rebus dubiis favendum est, tum denique ex utilitate fidelium, queis onus Apostolicam Sedem adeundi imponendum non est, nisi certis de causis et exploratis. Haec tamen argumenta aliquibus videntur non satis firma ob eam praesertim causam, quia destituuntur omni auctoritate canonum; namque, ut ait Sanchez de matrim. lib. 8 disp. 6 num. 8, *nullibi invenio posse Episcopum vere dispensare in hoc dubio.* Et Franciscus Hennus tract. de legib. dist. 3 q. 15 a. 4 conclus. 4: *Concessionem dispensandi*, ait, *habent Episcopi respectu legum Pontificiarum secundum aliquos in dubiis, an casus egeat dispensatione. Sed crediderim recurrendum esse ad Sedem Apostolicam, quia in dubiis pars tutior est tenenda.* Idque pro certo habendum videtur, dum agitur de Sacramentis ex propositione ab Innocentio III damnata: *Licet sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Nihilominus tamen S. Alphonsus de Ligorio in sua Theologia Morali lib. 1 appen. 2 cap. 3 *de privilegiis Episcoporum* ita scribit: *In impedimentis dirimentibus solus Pontifex potest dispensare. Quod si impedimentum esset dubium, commu-*

nissima est sententia posse etiam Episcopum dispensare.... et quamvis Sanchez in tractatu de matrimonio lib. 8 disp. 6 num. 8 id neget, tamen in decalogo lib. 4 cap. 40 num. 26 videtur se retractasse; ibi enim ait tamquam ex regula generali « Cum dispensationis conservatio « sit odiosa, est restringenda ad casus certos; dubii enim « non comprehenduntur sub reservatione ».

Altera quaestio est, num Episcopus possit aliquem lege solvere, quando conditor canonis eam sibi facultatem non reservavit. Plerique omnes Doctores pernegant, ideo quod *dispensationes*, ut ajunt, *non sunt ex iis quae competunt, si non prohibeantur, sed ex iis quae non competunt, nisi concedantur.* Id confirmant ex cap. *Dilectus* de tempor. ordin., ubi expresse decretum est: *Cum illi* (Episcopo) *hujusmodi dispensatio minime sit permissa, ipsi obtemperare non debuit in hac parte.* Praeterea ut bene animadvertit Fagnanus in cap. *Nimis* de fil. presbyt.: *Mos sacrorum canonum et Conciliorum est fere ubique simpliciter praecipere aut prohibere quid faciendum sit, vel non faciendum; raro autem descendunt ad prohibitionem dispensationis. Unde si liceret Episcopis dispensare, quotiescumque dispensatio in specie non prohibetur, consequenter esset in eorum facultate totum jus commune et Concilia universalia subvertere in singulis casibus dispensando, quod est erroneum asserere.* In hanc sententiam sic recte ratiocinatur P. Engel de min. et obed.: *Frustra canones expresse illam facultatem dispensandi in certis casibus concederent, si alias de jure Episcopo competeret.*

Solent aliqui objicere caput *Nuper* de sent. excomm., ubi legitur: *Quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Respondetur autem in eo canone non de legibus relaxandis, sed de absolutionibus a censuris et peccatis disceptari; quae duo maxime differunt. Absolutione enim a peccatis et censuris non derogatur legi, dispensatione vero lex vulneratur, sive ut ait Suarez de legibus lib. 6 cap. 14: *Absolutio non est contra aut praeter legem superioris, sed secundum illam; dispensatio autem derogat legi.* Praeclare Thomassinus part. 1 lib. 2 cap. 13: *Eo,* inquit, *fundamento nititur ea Canonistarum distinctio, quando docent eo differre dispensationes ab absolutionibus, quod dispensare non possint Episcopi, nisi ubi illa eis expresse in jure potestas conceditur; at absolvere a quibuscumque possint criminibus, nisi ubi expresse Pontifici Summo reservata fuerit. Quippe Ordo episcopalis plenissimam complectitur potestatem remittendorum peccatorum, non relaxandarum legum.*

§. 54

DE JURE ADMINISTRANDI

Quintum denique jus Episcoporum in administrando versatur. Administrare est spiritualem curam suarum ovium gerere, resque ad Dei cultum et pietatis opera pertinentes disponere, diligenterque curare. Itaque Epicopus ex officio et jure administrandi 1.° Ecclesias et Beneficia erigit, supprimit, servatis sacrorum canonum

regulis: 2.° Ecclesias parochiales, Praebendas, et Beneficia omnia suae Dioecesis confert, nisi fuerint reservata, vel affecta; 3.° Deligit eos, qui clericali militiae adscribi, et Ordinibus initiari postulant: 4.° Munera et officia ecclesiastica iis defert, quos idoneos comperit: 5.° In rectam administrationem bonorum etiam temporalium ad Ecclesias et Loca Pia pertinentium incumbit: 6.° Piarum voluntatum executionem curat; quin imo, ex Tridentino Concilio sess. 22 cap. 8 de reform. *Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegati in casibus a jure concessis* (quando nempe executores a pio fundatore designati in suo munere fungendo segnes negligentesque fuerint) *omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos sunt executores*, 7.° Denique Episcopis potestas est ea omnia curandi et agendi, quae ad rectam suae Dioecesis administrationem pertinent.

Antequam huic capiti finem faciamus, non abs re visum est de potestate Episcoporum ea notare, quae sequuntur. Theologi et Canonistae disputant, utrum potestas jurisdictionem *immediate* a Deo ipso, an potius a Romano Pontifice Episcopis conferatur? *De qua re*, ait Zallinger jur. eccl. publ. §. 363, *animadverte primo: omnis sacra et ecclesiastica potestas remote ac primo est a Deo tamquam gratiae collatore. Secundo: potestas Ordinis tam in Episcopis, quam Presbyteris certe a Deo est proxime et immediate, a quo positis signis sacramentalibus consecrationis vel ordinationis, et character imprimitur, et potestas confertur, quae dein nullius hominis arbitrio auferri, imminui, amplificari potest. Tertio: potestas*

Pontificiae ac summae jurisdictionis certe immediate et proxime a Deo est; cum enim Electores Papae illam jurisdictionem non contineant, eam a se in Subjectum quod eligunt, derivare non possunt. Nihil igitur agunt, nisi ut personam designent, cui Christus potestatem a se institutam secundum promissionem suam dein conferat. Singulari hoc exemplo abutendum non est ad quaevis alia genera collatae, et acceptae potestatis. Uti enim Episcopus in Presbyteros jurisdictionem pro foro interno, vel etiam externo derivat; sic non repugnat, ut Pontifex, in quo est plenitudo sacrae potestatis, ejus partem in illos transmittat, qui in partem sollicitudinis vocari solent.

Multa dici possent in utramque sententiam, verum ad id, quo spectamus, non est necesse; nobis in animo est tyrones praemonere, ne in errorem inducantur, eo quod aliqui Canonistae in ea quaestione pertractanda ita versantur, ut aut Episcoporum, aut Pontificis, et hujus maxime, potestatem deprimant. Cavendum itaque ab iis est, qui censent potestatem Episcoporum sic a Pontifice impertiri, perinde ac si Episcopi ministri, aut vicarii Romani Pontificis essent; itemque ab iis, qui arbitrantur eam potestatem immediate a Deo ita conferri, ut Episcopos constituant veluti *Corregentes* Ecclesiae, vel *Optimates*. Nemini igitur plus tribuendum, quam veritas ipsa concedat, ideoque in alterutra sententia semper ob oculos habendum est, Episcopos esse veros Pastores Rectoresque suarum ovium, sed tamen ipsorum potestatem intra fines Dioecesium contineri, et Summo Pontifici obnoxiam esse.

Disputant etiam, quae sit ecclesiastici regiminis forma, an *democratica*, an *aristocratica*, an vero *monarchica?*

Jam vero non est *democratica*; hic turpissimus fuit error Richerii, qui docuit, potestatem ecclesiasticam christiano populo, sive toti Ecclesiae corpori datam esse, quem errorem superiori lib. 2. §. 13 refutavimus, nec proinde necesse est in hujus argumenti tractatione iterum versari. Bellarminus quidem controvers. lib. 1 de Rom. Pont. cap. 3 ait, in forma regiminis ecclesiastici, *suum quemdam in ea locum habere democratiam, cum nemo sit ex omni christiana multitudine, qui ad Episcopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere judicetur.* Verum, ut observat Zallinger jur. eccl. publ. §. 362, *huic quidem assertioni quoad rem nemo catholicorum facile refragabitur; quoad loquendi modum, qui secundum receptas de Imperii forma notiones disserit, aegre quisquam assentietur. Nam distinguenda est forma reipublicae a regiminis seu gubernationis modo. Si quis Rex regni sui officia et dignitates ex aequo distribuat pro meritis ac virtute cujusque, nulla nobilitatis habita ratione, non ob id ejus regnum formam democraticam induit; quae quidem forma ex solo subjecto potestatis summae determinatur.*

Neque forma regiminis ecclesiastici est *aristocratica*; huic enim maxime repugnat Primatus honoris et jurisdictionis divinitus institutus, quo unus Romanus Pontifex S. Petri Successor universae Ecclesiae praeest. Igitur qui meram aristocratiam in Ecclesiam inducunt, catholicum dogma Primatus omnino destruunt: quapropter facultas theologica Lovaniensis propositionem M. Antonii de Dominis lib. 1 de rep. eccl. num. 12, in qua asserebat, *Ecclesiam*

Spiritu Christi instructam, et in singulis Ecclesiis voluisse monarchiam, et in se totam aristocratiam, ut altera alterius vitia corrigeret, hac gravissima censura notavit: *Propositio haeretica et schismatica, quatenus asserit, regimen universalis Ecclesiae esse aristocraticum.*

Cum igitur regimen ecclesiasticum non sit neque democraticum, neque aristocraticum, consequens est, illud esse *monarchicum.* Quoniam vero Episcopi sunt veri Pastores suarum ovium, et in Conciliis generalibus veri judices, hinc communior sententia est regimen ecclesiasticum, illud quidem monarchicum esse, aliqua tamen aristocratiae specie temperatum. In quam sententiam cl. Zallinger jur. eccl. publ. §. 362 ita praeclare animadvertit: *Temperamentum istud aristocraticum non tale intelligi debet, quale in Statibus profanis esse solet, quorum forma mixta ex divisione jurium summi imperii ita oritur, ut quod in uno subjecto inest jus, non idem in altero insit, neque ab altero pendeat. Discrimen facit singularis unitas, atque unitatis conservandae obligatio, quam Christus suae Ecclesiae propriam fecit. Nam primo ipsa potestas Episcoporum quae temperamentum illud aristocraticum efficit, perpetuo et ex natura sua alligata est ad centrum unitatis, ac supremam potestatem Vicarii Christi, eidemque subordinata, ut proinde haec mixtio aristocratica non absoluta, sed limitata sit. Secundo quidquid juris competit Episcopis, id eminente quadam ratione inest in Primate Ecclesiae, ac Summo Vicario Christi. Haec, ni fallor, de aliis formis profanis ex monarchia et aristocratia mixtis asseri haud possunt.*

LIBER III.

DE PERSONIS ET REBUS

ECCLESIASTICAE POTESTATI SUBJECTIS



Quae personae, quaeque res Ecclesiasticae potestati obnoxiae sint, hoc tertio et postremo Institutionum nostrarum libro dicturi sumus. Doctores facile consentiunt, tum christianos omnes, tum eas res, quae ad Dei cultum et animarum salutem pertinent, potestati Ecclesiae obnoxias esse. Verum in hujus potestatis usu nihil ferme agere Ecclesia potest, quin obtrectatores et hostes inveniat: hi siquidem imperio civili ita favent, ut illud contra fas jusque quocumque intrudere conentur. Quapropter de ecclesiastica potestate, quid scilicet sive in personas sive in res Ecclesia possit, disserere aggredimur. Quo in negotio sane difficili danda est opera, ut probatas Doctorum sententias, praesertim vero Traditionem et Sacram Scripturam magistram ducemque sequamur.

CAPUT I.

§. 55

DE PERSONIS

Et quoniam duplici Personarum genere Ecclesia constat, Laicis nempe et Clericis, primo dicendum est quemadmodum laici potestati ipsius Ecclesiae subduntur: secundo agendum de Clericis eorumque immunitate, circa quam tam multa a Theologis et Canonistis disputata sunt: tertio denique videndum, an electio personarum, per quam ad magistratus dignitatesque ecclesiasticas via panditur, ad unam Ecclesiam pertineat.

§. 56.

DE LAICIS

Ut Laici reipublicae legibus tamquam cives subjiciuntur, ita per baptismum inter filios Ecclesiae cooptati ejus imperio obnoxii sunt. Rectoribus namque Ecclesiae, in primisque Petro curam et regimen totius gregis Christus ipse contulit, potestatemque dedit jubendi, judicandi, poenisque coercendi, de quibus in superioribus libris satis dixisse arbitramur. Itaque christiani omnes Ecclesiam audire debent, quo spectant ea Christi verba Luc. X 16, et Joan. XIII 20: *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit,* ideoque in ipsum Christum peccat, qui Ecclesiam non audit, eique non obtemperat.

Ecclesiae vero imperanti aut docenti obedientem se quisque praebere debet in iis omnibus, quae ad cultum Dei, et salutem animarum spectant. Hinc S. Paulus in epist. ad Hebraeos XIII 17: *Obedite*, inquit, *Praepositis vestris, et subjacete eis* et statim subdit: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Ii etiam qui in altissimo dignitatis gradu collocati sunt, Reges ipsi et supremi Magistratus, cum filii Ecclesiae sint, eidem Ecclesiae parere debent: quapropter Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem: *Tanto* inquit *gravius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus in divino sunt reddituri examine rationem.* Et in can. 11 dist. 96 haec habentur: *Si Imperator catholicus est, filius est, non Praesul Ecclesiae. Quod ad religionem competit discere ei convenit, non docere..... Deus enim voluit, saeculi potestates, si fideles sunt, Ecclesiae suae Sacerdotibus esse subjectas.* Atque hanc perpetuam fuisse Ecclesiae doctrinam manifestum est ex Concilio Illiberitano can. 2, 3, 55 et 56, Arelatensi I can. 7, ex Basilii ad Athanasium epist. 61, Ambrosii epist. 40 n. 17 ad Theodosium, ex aliisque Conciliis et Patribus. Eadem Natalis Alexandri, et cl. Bossuet, aliorumque Theologorum et Canonistarum sententia est.

§. 57.

DE CLERICIS EORUMQUE IMMUNITATE

Clerici non secus ac laici Ecclesiae legibus ejusque imperio subduntur. Praeterea a Clericis parendum est

sacris canonibus, qui sunt de vita et honestate Clericorum, deque reliquis eorum officiis constituti. Quod vero ad leges civiles attinet, Bellarminus de Clericis lib. 1 cap. 28: *Non sunt*, inquit, *exempti clerici ab obligatione legum civilium, quae non repugnant sacris canonibus vel officio clericali......Nam clerici, praeterquamquod clerici sunt, sunt etiam cives et partes quaedam reipublicae politicae. Igitur ut tales vivere debent civilibus legibus..... alioquin magna perturbatio et confusio in Ecclesia oriretur, si clerici non servarent civiles leges in commerciis civilibus et humanis. Secundo probatur ex confessione Pontificum et Imperatorum. Nicolaus Primus in epistola ad Michaelem prope finem dicit, Deum divisisse Pontificiam auctoritatem ab imperiali, ut et christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur. Imperator Valentinianus in epistola ad Episcopos Asiae, quam refert Theodoretus in lib. IV hist. cap. 8 scribit: » Probos Episcopos non solum Dei, sed etiam Regum legibus obtemperare ». Denique S. Joannes Chrysostomus in cap. 13 ad Rom. dicit: « Christi Evangelio non tolli politicas leges, et ideo debere etiam Sacerdotes et Monachos eis parere ».*

Haec autem omnia Bellarminus eodem loco ita explicat: *Nec volumus dicere his legibus teneri Clericos obligatione coactiva, sed solum directiva.* Quibus verbis significatur, Clericos non posse civiles leges impune despicere; at si deliquerint non a laico, sed ab ecclesiastico judice puniendos esse.

Verum in Jure publico ecclesiastico quaeri solet, utrum hoc privilegium, quo Clerici a foro laico eximuntur, introductum fuerit jure divino, an humano.

Natalis Alexander hist. eccles. saec. XV et XVI cap. 7 in schol. 4 ad artic. 2 ita scribit: *Immunitatem ecclesiasticam quoad spirituales causas et mere ecclesiasticas, juris esse divini fateor : sed quod spectat causas temporales et profanas, ut solutionis debitorum, et criminum, quae a viris ecclesiasticis, non quatenus Clerici, sed quatenus homines sunt improbi, committuntur, ut furta, homicidia, sacrilegia etc., eorum immunitatem esse juris divini concedere non possum.*

Covarruvias practic. quaest. cap. 31 auctores citat tum eos qui privilegium fori a jure divino, tum eos, qui ab humano jure profectum esse contendunt; atque etiam argumenta profert, quibus utraque pars sententiam suam tuetur, et concludit: *In his, quae vere et proprie spiritualia et ecclesiastica sunt, Clerici a potestate et jurisdictione Principis saecularis jure divino eximuntur. In rebus temporalibus, et in criminalibus, quae spiritualia non attinent, Clerici et eorum res non sunt jure divino a jurisdictione Principum saecularium exempti.* Talis autem opinio his argumentis nititur, teste eodem Covarruvia: *Primum,* inquit, *ex eo quod nulla sit evangelicae legis et novi Testamenti lex, quae Clericos a jurisdictione Principum saecularium exemerit ; et ideo dici potest, eos lege humana exemptos esse, cum non appareat divina lex, quae vere divina sit, et post Christi adventum vim et potestatem habeat, ex qua Clerici fuerint cum eorum rebus a juris-*

dictione Principum saecularium exempti. Secundo, quia in primitiva Ecclesia Clerici et eorum res jurisdictioni Regum et Imperatorum suberant, ut constat ex multis Imperatorum etiam christianorum legibus et Constitutionibus latis de personis ipsis et rebus ecclesiasticis. Tertio principaliter deducitur ex auctoritate Pauli, qui cum videret causam suam inique tractari, ad Caesarem appellavit. Quarto idem manifeste constat ex eodem Paulo ad Rom. cap. 13, *ubi scribit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quo in loco Chrysostomus annotavit, illic obedientiam injungi omnibus, etiam si quis evangelista sit, aut propheta, cum illa subjectio pietatem minime subvertat. Quinto haec ipsa opinio comprobatur testimonio Petri in ep. I cap.* 2 *ita ad omnes etiam Sacerdotes scribentis: Subditi estote dominis vestris sive Regi, sive Ducibus ab eo missis.*

At vero qui contra sentiunt, asseruntque exemptionem Clericorum etiam in civilibus negotiis et criminibus ad jus divinum referendam esse, ii quidem validioribus armis pugnare videntur. Sed ne longiores simus, hoc uno argumento contenti erimus a Traditione Ecclesiae ducto, quod est hujusmodi. *Quando Traditio,* ut ait Franciscus Suarez in defensione catholicae fidei lib. IV cap. 8, *est constans ac perpetua, ostendere solet jus divinum, praesertim quando non apparet ratio illam tribuendi apostolicae institutioni: talis autem esse videtur Traditio hujus exemptionis; est nempe adeo antiqua, ut nullum ejus agnoscatur initium; nam pro temporum opportunitate semper servata est, praecipue vero post tempora christia-*

norum Imperatorum. Hanc siquidem Clericorum immunitatem ab aetate Constantini Magni ad nostra usque tempora perpetuo constanterque observatam fuisse, res est adeo nota et manifesta, ut in dubium vocari nequeat. *Sub Imperatoribus autem ethnicis* (prosequitur Suarez) *non potuit quidem executioni mandari respectu magistratuum infidelium, qui Ecclesiae non parebant, quod ad factum pertinet; jus autem Ecclesiae non defuit, cujus signum est, quia semper Praelati ecclesiastici hoc jus immunitatis observare fecerunt, quantum inter ipsos fideles fieri poterat.* Ad id probandum maximo argumento esse possunt ea S. Pauli verba ad Thimotheum ep. I cap. 5: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Quibus verbis potestas recipiendarum adversus Presbyteros accusationum non tribuitur, sed agnoscitur. *Eademque verba,* inquit idem Auctor cit. libro cap. 13, *supponunt jam tunc fuisse episcopale tribunal pro Clericorum causis dijudicandis erectum. Estque attente considerandum, Paulum non loqui de solis causis ecclesiasticis, sed de querelis contra Clericos in causis criminalibus, nam in illis fit proprie accusatio; et cum Paulus indefinite et simpliciter loquatur, non est restringenda illius sententia ad crimina ecclesiastica; de quocumque ergo crimine poterat et debebat tunc Presbyter accusari in tribunali ecclesiastico.*

Cum igitur res ita se habeant, et proinde cum Clericorum immunitas a foro laico in Ecclesia perpetuo et constanter observata fuerit, ejusque originem et initium neque ad Apostolos, neque ad Summos Pontifices, neque

ad Concilia Episcoporum referre possimus, plane conficitur eam immunitatem a jure divino profectam esse.

Atque haec sententia auctoritate Conciliorum mirifice comprobatur. Namque Concilium Lateranense, Leone X Pontifice, sess. 9 inquit: *Cum a jure tam divino, quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit.* Et Concilium Coloniense part. 1 cap. 20 affirmat, immunitatem esse *vetustissimam, jure pariter divino et humano introductam.* Sic etiam Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 20 de reformat.: *Ecclesiae,* ait, *et personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constituta est.*

Veruntamen Clerici sive divino sive humano jure a foro laicali exempti fuerint, illud procul dubio apud omnes certum est, eam immunitatem nec tolli posse, nec abrogari. Neque enim solum ii, qui ad jus divinum eam referunt, ita sentire coguntur, propterea quod jus divinum abrogari nequit; sed etiam illi ipsi, qui a jure humano inductam fuisse contendunt, idem omnino sentiunt, quia *utile quidem est,* ut iniquit Covarruvias pract. quaest. citato cap. 31 num. 3, *et denique necessarium ad liberius et rectius ministrandum Ecclesiis, quod Clerici et eorum res sint a judicibus saecularibus immunes, praesertim eo quod haec immunitas maximam originem ducat a divinis veteris Testamenti institutionibus, a Sanctorum Patrum testimoniis, a publicisque Imperatorum quorundam concessionibus, ut tandem totus fere orbis christianus in hanc exemptionem propter publicam utilitatem consenserit.* Quae quidem rationes adeo graves eidem Covarruviae

visae sunt, ut affirmare non dubitaverit, *potuisse Summos Ecclesiae Pontifices Clericos et eorum res jurisdictione saeculari eximere, idque conveniens fuisse et esse christianae reipublicae, non tantum in spiritualibus, quod jure divino erat institutum, sed et in temporalibus.* Et num. 4 sentit cum sententia eorum, *qui probant et asseverant, nec Summum Pontificem posse tollere Clericorum exemptionem a jurisdictione saeculari quoad omnes Clericos, et quoad omnes causas in universum, licet optime possit eam exemptionem quoad quosdam Clericos, et quoad quasdam causas revocare.*

Et Duvalius, qui in libro de potestate Pontificis part. 3 exemptionem Clericorum in causis et criminibus civilibus, tota quanta est, humano juri attribuit, fatetur tamen quaest. 3, *Principem absque peccato eam universaliter tollere non posse, aut ad eas angustias redigere ut hoc in opprobrium et contemptum ordinis ecclesiastici cedat, maxime cum haec immunitas jam ubique locorum et gentium, quibus christianum illuxit lumen, sit recepta, sitque veluti juris gentium, quod a nemine immutari potest, nedum abrogari.*

Praeter laudatos Auctores vide Benedictum XIV de Synod. Dioeces. lib. IX cap. 9 n. 8. Ant. Dandinum Alteserra in Vindic. Jurisd. Eccl. lib. 1 cap. 2. et Emmanuelem Gonzalez in cap. 4 *de Immunitate.*

§. 58.

DE ELECTIONE

Apostolis vita functis, Episcoporum electio fuit penes Episcopos Provinciae cum Clero ac populo congregato. Hinc S. Athanasius ep. ad Episc. orthod. n. 2 Opp. tom. 1 demonstrat, Gregorium in Sedem Alexandrinam invasisse ideo praesertim, quod ejus electio facta non fuerit *secundum verba Pauli, congregatis populis et spiritu ordinantium cum virtute D. N. Jesu Christi.* Et Apostoli, ut legimus Act. VI, Diaconos a multitudine designatos ordinarunt.

Ex hac eligendi forma, cujus nonnulla exempla in Sacra Scriptura habentur, Doctores aliqui sibi visi sunt rectissime posse concludere: 1.° in electionibus Episcoporum suas partes tribuendas esse christianae plebi, idque jure divino: 2.° injuriam proinde populo factam esse, dum eo jure vel ejus juris usu privatus est, nova eligendorum Episcoporum disciplina invecta: 3.° denique eos, qui in civitate imperant, quique populi jura complectuntur universa, posse sibi eas partes, quas in hujusmodi electionibns populus obtinuit, vindicare.

Verum ubinam extat jus illud divinum, quo tota conclusio nititur? Nusquam quidem certe. Neque enim in Sacra Scriptura, neque in Traditione quidquam est, quo jus illud divinum probari possit. Sunt quidem in sacris litteris aliqua ejus rei exempla, sed nullum praeceptum, nulla lex, praescriptum nullum, unde ejus juris comprobandi argumentum vel probabile duci queat.

Praeterea si jus illud divinum extitisset, initio saltem Ecclesiae, ab Apostolis Virisque Apostolicis semper et ubique servatum esset. At nusquam legimus Petrum et Paulum, et reliquos Apostolos in constituendis Episcopis populum adhibuisse. In Ecclesia Alexandrina a Marco usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos sacrae electiones a Clero factae sunt sine ullo suffragio et consortio plebis; quod scripsit S. Hieronymus ep. 146 ad Evagrium: *Nam et Alexandriae,* iniquit, *a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum a se electum, in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant.* Sic etiam ex Historia Ecclesiastica liquet in aliquibus Ecclesiis interdum christianam plebem ad sacras electiones receptam, interdum quoque rejectam fuisse. Igitur munus ferendi suffragii vel testimonii, quod aliquando totius populi proprium fuit divino jure ad eumdem populum non pertinebat; idque duabus distinctis propositionibus egregie demonstrat Natalis Alexander Hist. eccl. saec. I dissert. 8. Sola proinde concessione et indulgentia Ecclesiae suffragium et testimonium populi adhibitum est, tum ut optimi quique et vulgo probati Antistites eligerentur, quo spectat illud Cypriani epist. 68: *Episcopus deligatur, plebe praesente, quae singulorum vitia plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit:* tum etiam ne invito populo daretur Episcopus,: *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti,* ut ait S. Leo Magnus epist. 167 ad Rusticum cap. 1.

At vero sive ex can. 2 Concilii Nicaeni II, et can. 22 Concilii Constantinopolitani IV, quibus laici homines ab electionibus excludebantur, sive ex can. 35 dist. 63, quo sancitum est, ut a Canonicis sine populi testimonio ac suffragio Episcopi eligerentur, sive denique ex consuetudine (unicuique enim harum trium sententiarum sui patroni extiterunt), factum est, ut populus ab Episcoporum electionibus prorsus amoveretur, citius quidem in Graeca, quam in Latina Ecclesia; et apud Graecos jus omne eligendi sine ullo populi testimonio aut suffragio in Episcopis permansit: apud Latinos vero ad Canonicos vacantis Ecclesiae Cathedralis delatum est. Quod jus obtinebat, cum Decretales Gregorii IX prodierunt.

Nam etsi jure divino ex Christi institutione fixum et immutabile sit neminem fore legitimum Ecclesiae Ministrum, *qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinatus, nec missus fuerit,* quae est definitio Concilii Tridentini sess. 23 can. 7, quod tamen ad formam electionum attinet, Christus eam rem arbitrio Ecclesiae reliquit; quod ex varia Episcoporum eligendorum ratione manifestum est. Quia vero Romani Pontifices, ut lib. II §. 28 demonstratum est, potestatem creandorum Episcoporum divinitus acceperunt, idcirco, sine eorum consensu et auctoritate Episcopum constituere fas est nemini; ipsi leges dederunt, ex quarum praescripto electiones fieri deberent, ortas de iisdem controversias dijudicarunt, et rejectis iis qui non legitime electi, aut minus idonei erant, alios suo lubitu Episcopos consituerunt, atque etiam potestatem aliis datam, cum visum est id satius esse, ad se revocarunt.

De electione Summorum Pontificum aliquid proferendum est. S. Gregorius lib. 5 epist. 20: *Cunctis*, inquit, *Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro Principi totius Ecclesiae cura commissa est. Ipsi quippe dicitur:* PETRE AMAS ME? PASCE OVES MEAS. Reliqui vero Pontifices S. Petri Successores per electionem creati sunt; sed varia fuit eligendi Pontificis ratio pro varia temporum vicissitudine. Quatuor itaque tempora distinguenda sunt.

1.° *A Lino*, qui, ut ait Eusebius Hist. eccl. l. 3 cap. 2, *post Petri martyrium primus Ecclesiae Romanae Episcopatum suscepit, ad Simplicium* usque, qui anno 467 Pontifex renunciatus est. Tam longo temporis spatio Romani Pontifices, praesente ac testimonium dicente populo, tum Cleri *suffragio*, tum Episcoporum *judicio* electi fuerunt. Vacante autem Sede, Romanus Clerus in gravioribus totius Ecclesiae negotiis consulebatur, ejusque judicia remotiores etiam Ecclesiae magni faciebant; quod praesertim ex S. Cypriani litteris manifestum est.

2.° *A Simplicio ad Zachariam*, hoc est, ab anno 467 ad annum 741. Jam ab anno 476 Odoacer Rex Herulorum, devicto Augustulo, Italia potitus erat. Mortuo autem Simplicio sancivit, ne novus Pontifex se inconsulto eligeretur. Quae res antea inaudita ut aliqua religionis specie contegeretur, Basilius Praefectus Praetorio ipsius Odoacris Vicarius dixisse fertur: *Admonitione beatissimi viri Papae nostri Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis meministis sub obtestatione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum et venera-*

bilis Ecclesiae detrimentum, si cum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cujuslibet celebraretur electio. Quare Baronius ad annum 483 §. 11: *Vides*, inquit, *quibus artibus saeculares potestates immiscere se conatae sint in electione Romani Pontificis. Potuit forte rogasse eum Simplicius Papa, ut ad comprimendas turbas dissidiaque vitanda praesto esset futurae electioni Successoris Pontificis, non autem ut absque ejus consultatione electio haud fieret.* Verum Pontifices Simplicii Successores Odoacris legem contempserunt. Nam Symmachus P. in Conciliis Romae habitis an. 500, et 502 tum eam legem abrogavit, tum etiam statuit, ut ille Pontifex haberetur, qui consentientibus totius ecclesiastici Ordinis suffragiis creatus esset, aut si studia in partem diversam animos inclinarent, *vinceret sententia plurimorum;* quod decretum extat apud Labbeum tom. 4 Conciliorum, et apud Gratianum can. *Si transitus Papae* dist. 79.

At vero Odoacer regno ac vita a Theodorico Gothorum Rege privatus est. Quo facto Theodoricus non solum confirmandi, sed etiam eligendi Romani Pontificis jus sibi usurpavit. Huic rei cum Clerus Senatusque Romanus primum obstitisset, deinde evitandi novi schismatis gratia assensus est, eaque lege res composita, ut in posterum, more pristino, Clerus eligeret Romanum Pontificem, quem Rex assensu suo confirmaret. Victis denique pulsisque Italia Gothis, cum Justinianus Roma potiretur, jus confirmandae electionis Romani Pontificis sibi arrogavit, quod jus Successores mordicus tenuerunt; quin imo, teste Ana-

stasio in vita Agathonis, pro electionis confirmatione certam pecuniae summam exigebant. At Constantinus Pogonatus Imp. pristinam Ecclesiae libertatem restituit, voluitque ut Pontifex canonice electus sine ulla foedissimi tributi solutione, et sine ullo Imperatoris aut Exarchae consensu statim ordinaretur. *Verum*, ut ait Papebrochius in Conatu chronico-historico pag. 199 num. 3, *hujus privilegii usu frustrata videtur fuisse Romana Ecclesia, quamdiu sub graecis Imperatoribus fuit: nam usque ad regnum Longobardorum in Italia, et Zachariam Papam quarto post decessoris obitum die ordinatum, nemo fuit, cujus ordinationem non praecesserit sex hebdomadarum, ut minimum interpontificium, plerumque autem mensium duorum et amplius; ut videatur Justinianus junior patri succedens nullam habere voluisse talis privilegii rationem, sed inhaesisse ei, quod idem Constantinus pater suus sub Leone dederat, ut relevaretur quantitas, quae solita erat dari pro ordinatione Pontificia facienda.* Eadem sententia est Cardinalis Baronii ad annum 686 num. 3. Sed Cajetanus Cenni *in notis chronologicis ad Anastasium in vita Cononis*, et Mansius *in notis ad Baronium* putant ab Imperatore Justiniano II Pogonati Imperatoris legem abrogatam non fuisse, ideo quod ejus abrogationis nullum perspicuum documentum, nec indicium quidem ullum afferatur.

3.° *A Zacharia ad Nicolaum II*, hoc est, ab anno 741 ad annum 1058. Zacharias itaque anno 741 Pontifex inauguratus est. Qui putant libertatem electionum, quam Pogonatus Imperator concesserat, a Justiniano II

ademptam non fuisse, ii quoque censent, Joanni V, qui anno 685 primus post legem Pogonati electus Pontifex extitit, omnium itidem primo contigisse, ut nec expectata, nec petita Imperatoris confirmatione Pontificatum iniret. Qui vero de Imperatore Justiniano II non bene existimant, ii omnino contendunt Zachariam fuisse primum, qui sine ulla Imperatorum confirmatione totius Ecclesiae administrationem suscepit. Id vero apud omnes certum est, tum Zachariam, tum reliquos ex eo tempore Pontifices sese ab injusta obtinendae confirmationis servitute vindicasse.

Hoc loco illud unum monemus, omnem fidem merito denegari duobus canonibus, qui sunt apud Gratianum, nimirum canoni *Hadrianus* 22 dist. 63, qui profertur his verbis: *Hadrianus autem Papa cum universa Synodo tradiderunt Carolo* (Magno) *jus et potestatem eligendi Pontificem, et ordinandi Apostolicam Sedem:* itemque canoni *In Synodo* 23 eadem dist. 63, in quo pseudopontifex Leo VIII ad exemplum B. Hadriani Othoni I Imperatori potestatem concessisse dicitur Romanum Pontificem eligendi. Utrumque hujusmodi canonem commentitium esse demonstrant Baronius ad annum 774 §. 10 et ad annum 964 §. 22, Petrus De Marca lib. 8 de Concordia cap. 12 §. 9, et Sandinius in dissertatione 19 *de falsa Synodo sub Hadriano I circa jus eligendi Romanum Pontificem, et investituras concedendi Episcopis.*

4.° *A Nicolao II.* hoc est, ab anno 1058 ad nostra tempora. Nicolaus II in Romano conventu Cardinalibus Episcopis *principaliter,* ut ait S. Petrus Damiani ad Cadolaum Parmensem Episcopum lib. 1 epist. 20, *potesta-*

tem dedit Romanum Pontificem eligendi, sic tamen ut reliquus Clerus et populus ad consensum novae electionis accederet. Decretum habes apud Baronium ad annum 1059 §. 25, apud Labbeum tom. 9 concil., et apud Gratianum can. *In nomine Domini* dist. 23. Alexander vero III decreto edito in Concilio Lateranensi, quod extat cap. *Licet* 6 de elect., sancivit, ut *ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus* (Cardinalium) *concordantibus electus fuerit et receptus.* Itaque ab Alexandro III, ut annotavit Panvinius ad Platinam pag. 157, *Clero omnino et populo a Pontificis electione exclusis, ea ad Cardinales solos primum redacta est ad evitanda in posterum schismata.*

Qui de forma hujus electionis faciendae, de Conclavis disciplina et legibus plura nosse desiderat, consulat Joannem Devoti in *Jure Canonico universo publico et privato* ad tit. VI lib. 1 Decretalium.

Pirrhing ad titulum *de electione* sectione 9 eam quaestionem pertractat, an nimirum Romanus Pontifex possit sibi Successorem eligere. Aliqui putant id fieri posse, et revera factum esse tum a S. Petro, qui sibi Successorem destinavit, tum ab aliis Pontificibus, cum praesertim latere propter persecutiones cogebantur. Afferunt etiam exempla aliquorum Episcoporum, qui primis Ecclesiae saeculis, ut ait Baronius ad annum 426 §. 13, *quos sanctissimos scirent, eos ad episcopale munus deligebant.*

Quod ad Episcopos attinet, certum est, primis Ecclesiae saeculis in more positum fuisse, ut Episcopi sibi

successorem designarent. Sed Summus Pontifex Hilarus Concilio duodequinquaginta Episcoporum Romae celebrato, quinque canones ad constituendam Ecclesiae disciplinam edidit, atque horum postremo cavit, *ne quis Episcopus sibi eligeret successorem.* Quod vero ad Pontifices pertinet, si annales et antiquae Ecclesiae monumenta perscrutemur, nullum profecto certum exploratumque exemplum inveniemus ullius Pontificis, qui sibi Successorem elegerit. Contra vero compertum habemus, Bonifacium II, ut licentiae Regum Gothorum in designandis Pontificibus occurreret, habito Romae Concilio, elegisse Vigilium Diaconum, qui sibi succederet, Clero tum consentiente, tum consensum suum jurejurando et chirographis confirmante. Cujus rei, utpote sacris legibus et libertati electionum contrariae, adeo Clericos et Bonifacium ipsum poenituit, ut Pontifex alio congregato Concilio, decretum abrogaret, ignique traderet. Itaque si veteribus exemplis standum est, haec potius obstant hujusmodi electionibus, quam faveant.

In hodierna vero disciplina videntur canones cum facto Bonifacii II consentire, quos Pirrhing magno numero congerit, et rationibus auctoritateque illustrat. Ad canones accessit decretum Pii IV, quo sancitum est, Pontificem, Cardinalibus quoque consentientibus, non posse Successorem sibi eligere. Raynaldus ad ann. 1561 §. 9: *Occasionem*, inquit, *hujus sanctionis restituendae potius quam instituendae, cum jam olim in Concilio Romano sub Bonifacio II emanaverit, videtur ex parte innuere Victorellus in additionibus ad vitam Pii IV, quam Diana part.* **10** *tract.* 5 « *De potestate Pontificis eligendi sibi*

Successorem » retulit, quem lector sciendi cupidus consulere potest, invenietque agitatam inter Canonistas quaestionem, sit ne hoc, jure, ut vocant, divino an canonico vel naturali interdictum: quam etiam controversiam doctissime more suo expendit Prosper Fagnanus in 2 part. primi Decretal. cap. Accepimus de pactis num. 16.

§. 59.


DE REGIA NOMINATIONE

Jam diximus, atque etiam argumentis confirmavimus non jure divino, sed tantummodo indulgentia Ecclesiae factum esse, ut olim christianus populus ad Episcoporum electiones reciperetur, et proinde cum jus illud nunquam extiterit, neque etiam in Summos Principes transferri potuit. Nonnulli itaque Canonistae aliam viam inierunt, ut jus Episcopos eligendi vel nominandi Summis Principibus adsererent, atque affirmare non dubitarunt, jus ipsum in *jure majestatico*, sive in summo imperio contineri. Verum haec opinio mirum quantum a veritate discrepat. Electio enim Episcoporum est pars ecclesiastici regiminis, quod proinde ad Ecclesiam pertinet. Neque vero civile imperium omnia potest ideo quod summum est: tum enim civilis, tum etiam ecclesiastica potestas summa est, utraque tamen in genere suo; et quemadmodum civilium Magistratuum eligendorum potestatem Ecclesia non habet, sic etiam Principibus laicis nullum jus est Magistratus ecclesiasticos sive Episcopos eligendi.

Id sapientissimi Principes facto ipso professi sunt; jus enim suarum ditionum Episcopos nominandi per privilegia, aut pacta et conventa a Sede Apostolica impetrarunt. Quapropter Natalis Alexander Hist. eccles. saec. XV, et XVI diss. 11 art. 6 n. 7: *Non prohibetur*, inquit, *Principibus, ne Episcopos Ecclesiis designent, si id ipsis* ECCLESIA CONCESSERIT VEL PERMISERIT; *quod quidem eo casu praestabunt* NON JURE IMPERII, *sed praesidii ad Ecclesiam juvandam, et nominatio regia vim electionis habebit, quatenus Rex ut Ecclesiae defensor, et ut populi caput, seu ut persona inter Clerum et laicos media, utrumque ordinem in negotio electionis Episcoporum repraesentat, sive utriusque jura exercet,* ECCLESIA CONCEDENTE. Et Gaspar Juenin in Commentario historico et dogmatico de Sacramentis dissert. X cap. 5 art. 5 haec habet: *Naturalis ratio docet ovibus non convenire, ut pascant ac regant, sed tantum ut regantur et pascantur. Verum eligere Pastores actus est regiminis et gubernationis; laicis igitur, utpote ovibus tantum, nequaquam competit, nisi* CONCESSERIT ECCLESIA, *ut revera alias indulsit, et nunc etiam Principibus indulget, cum facultatem facit, ut in regnis, quibus praesunt, Episcopos nominent et praesentent Papae, a quo canonice instituuntur.*

Jus igitur nominandi Episcopos a Romano Pontifice tribuitur, ab eoque nominatio regia confirmanda est; postquam enim constiterit, eum, qui nominatus est, tanto munere dignum esse, tum nominatio confirmatur, nominatus scilicet Episcopus instituitur, et potestatem jurisdictionis consequitur.

Episcopi ante consecrationem tum catholicam fidem profitentur ex formula a Pio IV praescripta, tum fidelitatem et obedientiam Romano Pontifici promittunt, interposito jurejurando. De hujus jurisjurandi antiquitate et aequitate plures Canonistae scripserunt; sed vide Barthelium, celebrem Germaniae Canonistam eumque minime suspectum, in Opusculo de Pallio capite XI, et Thomassinum vet. et nov. Eccl. disciplin. part. 2 lib. 2 cap. 46.



CAPUT II.

§. 60.

DE REBUS

Res, circa quas ecclesiastica potestas versatur, in duas classes dividuntur, quarum prima regulam fidei et morum, et altera disciplinam respicit.

Definitiones fidei et morum ad Ecclesiam pertinere apud omnes catholicos certum est; *Principes christiani*, ait De Marca de Concordia Sacerdotii et Imperii lib. II cap. 6, *de fidei controversiis leges ferre non possunt, cum haec sit Ecclesiae Christi potestas, cui, ut columnae, fidei christianae praedicatio secundum Scripturarum et veteris Traditionis tenorem innititur. Unde perfidiam Arii non Constantinus, sed Synodus Nicaena discussit. Macedonium et Apollinaristas Synodus Constantinopoli coacta, non vero Theodosius Imperator haereseos damnarunt. Nestorii amentiam Synodus Ephesina, et Eutychetis delirium Chalcedonense Concilium, non Theodosius, aut Marcianus anathemate perculerunt. Hoc apertissime professi sunt ipsi Principes, ut in re certissima argumentis congerendis non sit opus.* Hac de re satis dictum est superioribus libris.

Disciplina vero ecclesiastica est vel *dogmatica*, vel *liturgica*, vel *externa*. *Dogmatica* est, quae originem suam ipsi Christo acceptam refert. Hujusmodi sunt materia et forma Sacramentorum, itemque forma ecclesiastici regi-

minis, seu ecclesiastica Hierarchia, quam divinitus instititutam esse Tridentina Synodus definivit. Quae quidem nulli humanae potestati obnoxia sunt. Huc etiam spectat illud disciplinae genus, quae vulgo *fundamentalis*, seu *substantialis*, sive *dogmati adnexa* dicitur, quae videlicet ita dogmati cohaeret, ut salvo dogmate, abrogari non possit. Talis est disciplina sanctissimam Eucharistiam adorandi, quae cum dogmate realis praesentiae Christi tantam conjunctionem habet, ut eadem disciplina nequeat aboleri, quin simul veritati dogmatis detrahatur

Disciplina *liturgica* est, quae ad Sacramenta, caerimonias, ritusque sacros, rerumque sacrarum dignitatem et reverentiam pertinet. Hoc disciplinae genus in potestate unius Ecclesiae positum est. *De ritibus*, ait De Marca in Prolegomenis ad libros de Concordia Sacerdotii et Imperii, *caerimoniis, Sacramentis, Cleri functione, conditionibus, censura, et disciplina canones a Conciliis, et decreta a Pontificibus Romanis, tamquam de materia sibi subjecta, frequentissime eduntur, et vix ulla proferri potest constitutio veterum Principum, quae hac de re lata fuerit ex mero potestatis saecularis imperio. Secutas quidem hac in parte leges publicas videmus; sed non antecessisse juxta mentem Justiniani, qui Novella* 83 *ait, ipsas leges post canones, et ad illos fovendos edi. Quod discrimen si accurate expendissent neoterici quidam, non adeo se absurdis opinionibus implicuissent, quibus auctoritatem Principum ultra limites a Deo praescriptos porrigunt.*

Denique disciplina *externa* ea est, quae externam Ecclesiae gubernationem, e. g. electiones Praelatorum,

ipsorum jurisdictionem, formam ecclesiasticae administrationis, judiciorum ordinem determinat, vel externas fidelium actiones, quatenus christiani sunt et Ecclesiae membra, moderatur. Hoc disciplinae genus politiam ecclesiasticam vocavit forte omnium primus Theodoretus Histor. Eccl. lib. I cap. 8, ubi de Nicaenis Patribus verba faciens sic loquutus est: *Post haec rursus in unum convenientes de ecclesiastica politia vigenti leges conscripsere.*

Harum Institutionum initio diximus, Regalistas nihil non moliri, ut res, quae ad Religionem pertinent, si non omnes, at eas certe, quae vel externae, vel rei temporali adnexae sunt, civili imperio subjiciant. Multa etiam circa matrimonium, causasque matrimoniales, et temporalia Ecclesiae bona eidem imperio concedunt. Quibus de rebus cum breviter dilucideque disserendum nobis sit, dicemus 1.° de rebus spiritualibus: 2.° de matrimonio et causis matrimonialibus: 3.° de rebus spiritualibus rei temporali adnexis: 4.° denique de bonis Ecclesiae temporalibus.

§. 61.

DE REBUS SPIRITUALIBUS

Spirituales dicuntur illae res, quibus Deus colitur, et homines ad aeternam salutem ducuntur, uti sunt Sacramenta, Missae Sacrificium, dies festi, preces sacrae, vota, jejunia, et cetera ejusdem generis.

Jam vero in iis omnibus, quae ad cultum Dei et salutem animarum spectant, omnis a Christo potestas do-

cendi, jubendi, judicandi, puniendi et solvendi Ecclesiae tradita fuit; idque variis harum Institutionum locis satis probasse confidimus, proindeque necesse non est, novis argumentis et rationibus eamdem rem confirmare, sed potius operae pretium esse arbitramur, opiniones contrarias refutare.

Itaque ajunt, *essentialia* Religionis christianae ab *accidentalibus* secernenda. *Essentialia* autem nominant tum quae ad doctrinam fidei morumque praecepta, tum quae ad Sacramenta et sanctissimum Missae Sacrificium pertinent, et haec tantummodo asserunt in potestate Ecclesiae posita esse. Cetera vero omnia, quae *accidentalia* vocant, in potestatem summorum Principum conferunt.

Adversus hanc opinionem, quae praesertim proxime elapso saeculo propagari coepta est, facit ea Tertulliani sententia cap. 21 de praescript.: ID SCILICET ESSE DOMINICUM ET VERUM, QUOD SIT PRIUS TRADITUM, ID AUTEM EXTRANEUM ET FALSUM, QUOD SIT POSTERIUS IMMISSUM. Apostoli, Concilia, Summi Pontifices et Episcopi disciplinae canones perpetuo condiderunt, neque ab ullo Scriptore catholico eorum potestas in controversiam adducta est, neque etiam adduci potuit: enimvero ex Sacris Litteris apertissime docemur, christiani populi curam et regimen Petro, et Apostolis, eorumque Successoribus traditum ab ipso Christo fuisse; et S. Paulus (Act. XX 28) apertis verbis pronunciat: *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Jam vero Ecclesia regitur non sola fidei morumque doctrina, sed etiam legibus disciplinae; imo vero REGERE proprie vereque significat *ordinare, gu-*

bernare, moderari, quae ad externam gubernationem pertinent. Hinc opinio eorum, qui Principibus potestatem tribuunt ferendarum legum de externa disciplina, *mihi videtur,* ait B. Cardinalis Thomasius opusc. 16 tom. 7, *continere haeresim oppositam revelationi divinae, quam nobis Dominus manifestavit in libris novi Testamenti. Disciplina enim exterior et visibilis Ecclesiae sita est in regimine Ecclesiae visibilis; quod regimen non homo, sed Deus non Regibus, sed Episcopis dedit, ut Deus ipse revelavit per os Apostoli dicentis: Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos* REGERE *Ecclesiam Dei.*

Neque dicas, externas res omnes in Principum potestate sitas esse; quippe Ecclesia non puros spiritus regit, sed homines corpore et spiritu concretos, adeoque societas externa est et visibilis. Praeterea consequeretur, non Ecclesiae, sed civili Imperio potestatem esse circa doctrinam fidei et praecepta morum, Sacramentorum administrationem, liturgiam, caerimonias divini cultus, aliaque id genus, quae actibus rebusque externis et visibilibus constant: quod nemo catholicus affirmabit.

Verum Canonistarum aliqui aliam favendi Principibus rationem excogitarunt. Dicunt enim, catholicos Principes esse Ecclesiae sacrorumque canonum tutores, *quos scilicet,* ut ait Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 20 de reform., *Deus sanctae fidei Ecclesiaeque protectores esse voluit.* Istud vero officium tuitionis sacrorum canonum ita dilatant, ut ex tutoribus legislatores faciant; cumque juribus decertare nequeant, ad facta confugiunt,

afferuntque Imperatorum exempla, qui jure tuitionis de externa disciplina leges ediderunt, et praesertim Justinianum laudant, qui in rescripto ad Dacianum Metropolitam Bizacii in Africa sibi jus attribuit *disciplinae in melius augendae.*

Sed in primis videndum est, quae sit hujusmodi tuitionis vis et potestas. Joannes Domat, auctor valde doctus, Jur. Publ. lib. I tit. 19 ita scribit: *Ad potestatem et officium Principum pertinet praestare Ecclesiae suarum ditionum totum id protectionis et auxilii, quo potest indigere. Atque hujus rei causa Principes christiani plures edidere leges ad imperandam custodiam et executionem legum Ecclesiae, uti videmus in Codicibus Imperatorum christianorum Theodosii et Justiniani, et in edictis Regum Francorum, qui iis complexi sunt innumeras leges Religionem respicientes. Id autem non ipsi fecerunt quasi ad condendos canones, vel ut se legislatores aut judices ecclesiasticarum rerum erigerent, ac si in eis inesset potestas ad ordinandas res ecclesiasticas, sicuti inest ad ditiones suas gubernandas; sed fecerunt solum ad tuendam observantiam legum, quas Ecclesia et potestates spirituales, quibus Deus Ecclesiae regimen commisit, condiderunt, et ad defendendam et promovendam executionem quoad ea, quae in istis legibus sunt ad ordinem exteriorem spectantia.* Certum itaque est, tuitionis officium, illud quidem nobile et Christiano Principe dignum, in Ecclesia defendenda, non in ea regenda versari.

Quod vero ad exempla pertinet, Justinianus leg. 13 Cod. de sent. et interloc. decernit, *non exemplis, sed*

legibus judicandum; et Innocentius III c. 27 de elect.: *Non debemus*, inquit, *attendere solummodo quid factum sit, sed potius quid sit faciendum.* Jam vero Beveregius inter Protestantes notissimus et celeberrimus in Prolegomenis ad Synodicon, sive Pandectas canonum ab Ecclesia Graeca receptorum, num. 2: *Si de fide*, ait, *loquamur christiana, et legibus ad ecclesiasticam spectantibus disciplinam, ipsi etiam Imperatores christiani ingenue multoties professi sunt, nihil sibi juris in istiusmodi sanciendis legibus tributum esse. Sic Constantinus Magnus, Valentinianus, Marcianus, Theodosius, aliique. Quin ipse etiam omnium peritissimus legum Imperator Justinianus in ea fuit sententia, leges nempe civiles non praecedere debere, sed sequi ecclesiasticas, idque sine dedignatione.* Quapropter verissime dictum est a Natali Alexandro Hist. eccl. saec. VI cap. 7 art. 2: *Leges de rebus ecclesiasticis a saecularibus Principibus conditae nullius sunt momenti, nisi ab Ecclesia ratae habeantur.*

§. 62.

DE MATRIMONIO

De Matrimonio duae sunt quaestiones, quae in Jure publico ecclesiastico instituuntur. Prima est: cuinam potestas sit impedimenta matrimonium dirimentia constituendi? Altera est: quisnam in causis matrimonialibus sit judex competens? A prima initium facimus.

Potestatem constituendi impedimenta matrimonium dirimentia alii solis Principibus, alii Ecclesiae soli, alii

tum Ecclesiae, tum Principibus tribuerunt. Priorem sententiam docuerunt Protestantes, qui matrimonium dumtaxat humanum et civilem contractum arbitrantur. Ex hoc enim errore consequitur, absolutam Regibus esse in matrimonio potestatem, quandoquidem humani civilesque contractus saecularium Principum legibus in unaquaque societate continentur. Hanc sententiam anathemate perculit Tridentinum Concilium sess. 24 de sacr. matrim. can. 4: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, anathema sit.* Verum nonnulli auctores, qui cum haereticis sentire, et catholici haberi volunt, definitionem Concilii Tridentini malis artibus eludere conati sunt. Joannes Launojus, in opere de regia in matrimonium potestate, interpretatus est Ecclesiae nomine designatum a Tridentinis Patribus fuisse non ordinem Sacerdotum, sed universum fidelium coetum, et in primis Reges atque Principes, ad quos ea potestas proprie pertinet, et quorum nomine et auctoritate ab ordine Sacerdotali exercetur. Launoji audaciam compressit Auctor *observationum in librum M. J. Launoji Theologi Parisiensis,* qui inscribitur *de regia in matrimonium potestate*, ubi et malam Launoji fidem in testibus corrumpendis, truncandis et adulterandis, et ejus fallacias aliaque id genus ingenuo scriptore prorsus indigna detexit.

Alteram sententiam tuentur catholici fere omnes. Ex quo enim matrimonium ad dignitatem Sacramenti elatum est, potestatem impedimenta dirimentia constituendi ad unam Ecclesiam pertinere oportet, quae ab ipso Deo collatam habet circa res spirituales jurisdictionem. Hujus

argumenti vim perspexit Calvinus ipse lib. 4 Instit. cap. 19 §. 17 : *Ubi enim semel*, inquit, *obtinuere catholici, matrimonium esse Sacramentum, conjugalium causarum cognitionem ad se traxerunt, quippe res spiritualis erat profanis judicibus non attrectanda.*

Tertiam denique sententiam, quae hanc potestatem tum Ecclesiae, tum Principibus concedit, amplexati sunt pauci numero doctores cum Sanchez, qui lib. 7 disp. 3 num. 2 haec habet: *Absque dubio dicendum est, posse Principem saecularem ex genere et natura suae potestatis matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex justa causa suis legibus indicere eo pacto, quo id Pontifex Summus potest.* Fatetur autem hanc potestatem reservare sibi Pontifices potuisse; quare Principes modo nequeunt impedimenta matrimonium dirimentia constituere. Eamdem sententiam tradit Petrus Soto lib. 4 de matrim. in fine. Veruntamen ab hujusmodi sententia valde distat opinio, quam Canonicus Litta Mediolanensis, aliis etiam erroribus famosus, explicavit in opere italice conscripto « *De jure constituendi impedimenta matrimonii* ». Siquidem hic auctor in constituendis impedimentis dirimentibus mutuam utriusque potestatis consensionem postulat, ita tamen ut plane significet, Ecclesiae potestatem esse non proprie constituendi, sed tantum proponendi impedimenta matrimonium dirimentia; idque adhibitis publicae utilitatis et honestatis rationibus, quibus optimi quique Principes ad eadem impedimenta adoptanda, suaque auctoritate roboranda moveantur. In hac itaque re nihil Ecclesiae praescriptio valet, nisi quae proposuerit, eadem

Principum auctoritate confirmentur. Igitur haec opinio Protestantium opinioni plane congruit, qui omnem ea in re Principibus potestatem tribuunt, Ecclesiae nullam.

Nos vero sententiam nostram explicantes primum affirmamus, Ecclesiae potestatem esse impedimenta matrimonium dirimentia constituendi, et eam quidem non precariam, neque a Principibus acceptam, sed omnino propriam et nativam. Id probatur ex natura christiani matrimonii, quod prorsus spiritualis est, idque argumenti genus in secunda sententia exponenda breviter attigimus. Deinde confirmatur ex usu Ecclesiae, quae vel a prima aetate hanc potestatem semper et ubique in ipsos quoque Principes explicavit. In hoc argumento egregie versatus est Gerbesius in tract. *de potestate Ecclesiae et Principum super impedimentis matrimonii*, ubi, teste Van-Espenio Juris ecclesiastici universi part. 2 tit. 13 cap. 1 num. 18, *plura antiquitatis testimonia et exempla, quae Ecclesiae potestatem ponendi impedimenta matrimonii evincunt, per omnia saecula deducit, ostenditque, hanc auctoritatem accepisse Ecclesiam a Christo, eamque jure proprio a primis saeculis usque ad haec tempora semper hac auctoritate usam fuisse, eamque quodammodo necessariam esse, ut Ecclesiae Pastores providere queant, quo fideles matrimonium ita ineant, ut Sacramenti effectum spiritualem assequantur.* Quamobrem idem Van-Espenius eod. cap. num. 10 concludit: *Igitur filum Traditionis insecuta Synodus Tridentina recte anathema dixit in eum, qui dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia, vel in iis constituendis errasse.*

Hanc autem potestatem non ex Principum indulgentia tacita vel expressa in Ecclesiam manasse, sed ei omnino propriam, et a Christo collatam esse, tum multis aliis gravissimis rationibus, tum praecipue ex can. 3 Tridentinae Synodi sess. 24 de matrim. demonstratur. Sed praestat audire Pium VI in suis litteris ad Card. Archiepiscopum Meclinensem die 2 februarii 1782 datis, in quibus ita disserit: *Notum etiam est, quod can.* 3 *ejusdem sessionis* 24 *definitum est, posse Ecclesiam constituere, ut plures gradus impediant ac dirimant. Cum ergo nullo unquam tempore dogma fidei falsum esse possit, necesse est, ut ab Ecclesiae origine et omni anteacto tempore verum fuerit, et omni consequenti aetate verum futurum sit, Ecclesiam ea, quae a Concilio asseritur, potestate pollere. At si tacita saltem Principum requireretur ad habendam potestatem concessio, sequeretur illud primis Ecclesiae temporibus sub Principibus nimirum ethnicis verum esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse illis in locis, in quibus Christi fideles degunt sub infidelium dominatione, et si ob aliquam, ut vocant, rationem Status Principes revocata ea, quae obtenditur, indulgentia et concessione, abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset ut verum esse desineret, quod a Tridentino definitum est, idque portenti existeret, ut aliquando dicendum foret Ecclesiam non posse, quod Ecclesiam posse Spiritus Sanctus Oecumenicae Synodi oraculo declaravit.* Sed rem plane confecit idem Pontifex in Bulla dogmatica *Auctorem fidei* adversus Synodum Pistoriensem, ubi sub numero 59 ita

declarat atque definit: *Doctrina Synodi ad supremam civilem dumtaxat potestatem originarie spectare, contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia, quod jus originarium praeterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum, subjungens supposito assensu, vel conniventia Principum potuisse Ecclesiam constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii, quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare:* CANONUM 3, 4, 9, 12 SESS. 24 CONCILII TRIDENTINI EVERSIVA, HAERETICA.

Secundo loco affirmamus, Principibus laicis potestatem non esse impedimenta matrimonium dirimentia constituendi. Id autem intelligimus de matrimoniis christianorum, cum nemo dubitet, quin Principes valeant infidelium nuptiis, quae contractus mere naturales et civiles sunt, tum quod ad civiles effectus, tum quod ad vinculum conjugale pertinet, impedimenta ponere. At matrimonii christiani vinculum a Principum voluntate non pendet: namque res sacra et spiritualis effecta est ac proinde potestati Ecclesiae attributa.

At vero quaenam adversariis ratio est, quamobrem ea potestas in Principes conferatur? Matrimonium ajunt, quamvis ad Sacramenti dignitatem elatum sit, suapte natura tamen et primo loco naturalem civilemque contra-

ctum esse: omnes vero contractus propter bonum publicum auctoritati Principum obnoxios esse, eaque de causa matrimonii contractum a Principibus irritum fieri posse. Neque eo casu, uti adversarii regerunt, civiles leges Sacramentum attingunt, sed contractum unum tollunt irritumque faciunt; sublato autem civili contractu, qui est materia Sacramenti, nequit Sacramentum amplius consistere, quia sine materia nullum Sacramentum conficitur.

Verum prorsus negamus, in civili contractu materiam Sacramenti sitam esse, sed in contractu ad praescriptum ecclesiasticarum legum celebrato; quaproter S. Thomas in supplem. quaest. 54 ar. 4 ad 1: *Sicut Deus*, inquit, *non conjungit illos, qui conjunguntur contra divinum praeceptum, ita nec conjungit illos, qui conjunguntur contra Ecclesiae praeceptum, quod habet eamdem obligandi efficacium, quam habet divinum praeceptum.* Id perspicuum est ex facto et consensu totius Ecclesiae; ea namque matrimonia, quae contra leges a Conciliis et Summis Pontificibus latas contracta essent, irrita perpetuo habita sunt. Saeculares quidem Principes possunt matrimoniis contrahendis leges dare; sed unaquaeque lex tantum valet, quantum est in potestate Legislatoris. Cum igitur saecularium Principum potestas res tantummodo temporales ac civiles moderetur, consequitur eorum leges circa matrimonia in ordine solum civili ratas esse, adeo ut matrimonia adversus eas leges inita civilibus effectibus, quantum scilicet attinet ad dotem, successionem, haereditatem et alia hujus generis, priventur: spirituale autem christiani matrimonii vinculum ejus ordinis est, ut civiles leges ad eum pertingere nullo

modo possint. Huc pertinet caput 1 de sponsal. et matr., ubi matrimonium inter virum Francum et mulierem de Saxonia, repugnante civili lege, contractum a Synodo Triburiensi validum declaratum est, et rubrica ejusdem capitis enunciatur his verbis: *Matrimonium solo consensu contrahitur, nec invalidatur, si consuetudo patriae non servetur.* Huc facit etiam commonitio Cleri Gallicani ad Ludovicum XIII de regio ipsius edicto, quo nuptiae a filiisfamilias initae absque parentum consensu nullae et invalidae decernebantur. Clero autem Gallicano ea de re admodum sollicito et anxio responsum est: *Verba ista* VALIDE et INVALIDE CONTRACTA MATRIMONIA *non esse aliter explicanda, quam per solam relationem ad contractum civilem.* Et S. Thomas in supplemen. quaest. 57 art. 2 explicans, cur legalis cognatio ex adoptione orta matrimonium dirimat, inquit, *quia filius adoptatus conversatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi, et talis prohibitio est per Ecclesiam approbata, et inde est, quod legalis cognatio matrimonium impediat.* Et ad 4: *Dicendum,* inquit, *quod prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit.* Ex quibus omnibus satis exploratum est, potestatem impedimenta dirimentia jure proprio constituendi ad Ecclesiam certe pertinere; Principibus vero integrum esse suis subditis contra civiles leges copulatis, licet ea matrimonia ratione Sacramenti et vinculi inde prognati valida sint, effectus civiles denegare; idque satis est ad eos in officio continendos, ne

Principum leges contemnant. Subditi enim a similibus nuptiis facile abstinebunt, dum plane norunt ex civilium effectuum privatione gravissima damna tum sibi, tum liberis imminere.

Putamus rem gratam et utilem facturos, si in medium proferamus gravissima verba, quibus facultas theologica Lovaniensis a Carolo Lotharingiae Duce sententiam rogata respondit. Sunt autem hujusmodi: *Extra dubium esse positum, penes saeculares Principes esse potestatem irritantia impedimenta statuendi respectu matrimoniorum non baptizatorum sibi subditorum, quatenus primis Ecclesiae saeculis impedimenta matrimonii a Principibus tum ethnicis, tum christianis constituta admisit Ecclesia. Saeculo quarto Theodosius, christianus pientissimusque Imperator, decretum tulit, quo consobrinorum matrimonia irrita decernebantur; cujus decreti cum elogio meminit S. Ambrosius epist. 66 ad Paternum.*

Nunquam Principes saeculares potuere irrita facere matrimonia fidelium, quoad omnes effectus, nisi consentiente, et robur addente Principum edictis ipsa Ecclesia. Hoc docet S. Thomas (quem passim Theologi sequuntur): namque tametsi jus aliquod in matrimonia potestati civili competere non diffiteatur, dum dicit L. 4 sent. dist. 34 q. 1 a. 1 ad 4 jure naturae, divino, ecclesiastico, et civili impedimenta dirimentia constitui posse; circa Christianorum tamen matrimonia, eorum esse restrictam potestatem asserit, dum ait L. 4 dist. 42 q. 2 a. 2 ad 4: PROHIBITIO LEGIS HUMANAE NON SUFFICERET AD IMPEDIMENTUM MATRIMONII, NISI INTERVENIRET ECCLESIAE AUCTORITAS, QUAE IDEM ETIAM INTERDICIT. *Quae verba saltem de fidelium matrimoniis intelligi debent; cum nemo sit, qui in dubium revocet, utrum Principes saeculares matrimonia infidelium, seu non baptizatorum, quoad omnes effectus, irritare valeant. Idem factis historicis valet demonstrari. Pallavicinus enim lib. 22 Hist. Conc. Trid.*

c. 4 refert, Regis Galliae oratores diu multumque institisse apud Patres Concilii, ut matrimonia filiorumfamilias non consentientibus parentibus contracta irritarentur; quod Patres post diuturnum examen multis et gravibus de causis abnuerunt. An ita per oratores institisset Rex Galliae, si penes se hanc potestatem esse reputasset? An Ecclesia abnuente generale impedimentum constituere pro omnibus christianis fidelibus, Rex Christianissimus pro suis subditis legem irritantem non tulisset?

Hoc tamen Galliae Reges nunquam attentarunt, et proinde id esse posse non existimarunt; varii quidem Galliae Reges matrimonia filiorumfamilias absque parentum consensu contracta, nulla et irrita declararunt; at quoad effectus civiles tantum, quod eorum non excedit potestatem. Talia autem matrimonia quoad effectus tantum civiles esse irrita patet ex Ludovici XIII responso: Hic enim Galliae Clero super dicta clausula sollicito et anxio respondit, NON VALIDE CONTRAHI, *intelligi* QUOAD EFFECTUS CIVILES: *quorsum tam inquieta Cleri Gallicani sollicitudo, ut Regis edicti tolleretur ambiguitas, si Principi saeculari potestas competeret contractus matrimoniales sic irritandi, ut nec naturale vinculum inducere, nec Sacramenti materia esse possint?*

Igitur qualiscumque sit quorumdam Galliae Parlamentorum circa talia matrimonia praxis et sententia, si ambigua sit, ad praedictam Ludovici XIII declarationem, et ad mentem illius est explicanda; si vero inveniatur adversa, per eamdem erit emendanda.

Ecclesiae Gallicanae circa talia matrimonia sententiam manifestam facit Habertus, qui Cleri Gallicani nomine scribens adversus Regii edicti detrectatores sub titulo OPTATI GALLI *sic ait:* TAMQUAM DIVINI JURIS INTERPRETIS AC ORACULI DE VERITATE, DE VALIDITATE, SUBSTANTIA, CAUSIS, PARTIBUS, CONTRACTU CONSENSUQUE, UT MATERIA ET FORMA, CONDITIONIBUSQUE, EFFECTISQUE SACRAMENTI MATRIMONII DECERNERE, UNIUS ECCLESIAE EST. ID FIDEI CAPUT ESSE NEMO DUBITAT ORTHODOXUS. *Quod si tam-*

quam fidei caput in ipsismet Galliis adstruitur, soli Ecclesiae competere potestatem statuendi conditiones requisitas ad validitatem contractus matrimonialis, quatenus ad Sacramentum ordinem habet, potestati civili jus non est adscribendum, quo valeat contractum matrimonialem irritum facere, nisi in ordine ad effectus civiles. Ipse Van-Espen, quem nemo suspicabitur nimium Ecclesiasticis favisse, Ecclesiae jus tribuit impedimenta matrimonii dirimentia privative statuendi: sic enim scribit Juris Eccl. Univ. p. 2 *l.* 1 *tit.* 13*:* QUIDQUID SIT, HOC CONSTAT, JAM PLURIBUS SAECULIS, ECCLESIAM, ET QUIDEM PRIVATIVA AUCTORITATE, ET CUM EXCLUSIONE PRINCIPUM SAECULARIUM IMPEDIMENTA DIRIMENTIA INTER CATHOLICOS ORDINASSE, EAQUE PRO TEMPORE, ET LOCORUM CIRCUMSTANTIIS NONNUNQUAM EXTENDISSE, VEL LIMITASSE, AUT ETIAM RELAXASSE; AC PER CONSEQUENS NEGARI NON POTEST, QUIN ECCLESIA HAC POTESTATE A PRIMIS SAECULIS PACIFICE USA SIT.

Constat etiam, impedimenta matrimonii stetisse auctoritate Ecclesiae, quae Principes saeculares cessare volebant; nam cum Theodosius statuisset irrita matrimonia in secundo gradu consanguinitatis, illud decretum sic suum fecit Ecclesia, ut cum Arcadius et Honorius illud revocassent, hoc minime obstante idem impedimentum perseveraverit.

§. 63.

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

Tridentina Synodus sess. 24 de matrim. can. 12 generatim definivit: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.*

Non exinde tamen (verba sunt Benedicti XIV de Synod. Dioec. lib. IX cap. 9) *quod causae matrimoniales fori sint ecclesiastici, fas erit Episcopo quidquid matri-*

monium attingit, sibi suoque tribunali adjudicare, sed causarum naturam attente inspicere et distinguere debet. Tria sunt causarum matrimonialium genera. Aliquae versantur circa initi conjugalis foederis firmitatem..... Aliae sunt causae excitatae aut super validitate sponsalium, aut super jure instituendi divortium quoad thorum, et quoad cohabitationem.... Aliae demum sunt causae, quae connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere politicas et temporales directe atque immediate respiciunt.

Itaque dicimus, duo tantum priora causarum matrimonialium genera ad ecclesiasticos judices pertinere. Et exordium sumentes a primo genere, quod est earum causarum, quae super initi conjugalis foederis firmitate versantur, perspicuum est, dum causa agitur de firmitate foederis conjugalis, idem esse ac si quaestio de Sacramenti validitate instituatur. Namque Sacramentum nullo modo est a matrimoniali contractu diversum aut disjunctum, tamquam res a re, aut tamquam res, quae extrinsecus superveniat. Sed Sacramentum et matrimonium una atque eadem res est; sive matrimonium est Sacramentum, quod Tridentina Synodus definivit sess. 24 can. 1: *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, anathema sit.* Hinc S. Thomas in supplemento tert. part. quaest. 42 art. 3 ad 2 ait: *Actus exteriores, et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est Sacramentum matrimonii.* Igitur cum foedus conjugale Sacramentum sit, de Sacramentis autem

judicare ad unam Ecclesiam pertineat, palam est causas omnes, quae firmitatem conjugalis foederis sive matrimonium spectant, in foro dumtaxat ecclesiastico dijudicandas esse.

Sed ajunt, plures eosque graves Theologos docere, matrimonium sine Ministro Ecclesiae, et sine aliqua Religionis caerimonia initum, non esse vere et proprie Sacramentum, sed tamen verum, firmum, et legitimum matrimonium habendum esse: quam quidem opinionem Melchior Canus de locis theologicis lib. VIII cap. 5, quantum potuit, tueri et illustrare conatus est. Cum igitur (hac ratione concludunt) Sacramentum a contractu matrimonii dividi possit, id consequens est, ut non omnes de firmitate matrimonii quaestiones, seu causae ad forum Ecclesiae deferendae sint.

Huic argumento respondemus, neque Canum, neque alios ejusdem opinionis patronos ita contractum matrimonii a Sacramento dividere, ut contractus et Sacramentum seorsum existant, sed tantummodo contendere, interdum posse verum, firmum, et legitimum matrimonium contrahi, quin sit Sacramentum. At vero cum matrimonium ita initur, ut vere et proprie Sacramentum sit, tunc plane fatentur, contractum et Sacramentum non duas esse res inter se distinctas, ita ut una ab altera secerni possit, sed unam eamdemque rem, quia contractus matrimonii est materia Sacramenti. Hinc Melchior Canus citato loco disserens de matrimonio ita inito, ut sit etiam Sacramentum: *Verba,* inquit, *contrahentium sunt Sacramentum,* id est, contractus est Sacramentum. Et paulo post ita

concludit: *Verba igitur contrahentium materia Sacramenti sunt*, sive, ut verba S. Thomae iterum usurpemus, *actus exteriores, et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est Sacramentum matrimonii.*

Praeterea Benedictus XIV de Synod. Dioec. lib. VI cap. 7: *Scimus profecto*, ait, *esse Theologos, qui in ipso fidelium matrimonio contractum a Sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad Sacramenti excellentiam pertingat. Sed quidquid sit de hac opinione, quam nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certe locum nullum vindicare sibi potest apud eos, qui Tridentina lege obstringuntur: etenim qui praeter formam a se praescriptam matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non Sacramentum modo, sed contractum ipsum irritum diserte pronunciat, atque, ut ejus verbis utamur, eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos esse decernit.*

§. 64.

DE CAUSIS SUPER SPONSALIBUS ET DIVORTIO

Sequitur genus alterum causarum, quae circa sponsalia et divortium instituuntur. *Jam vero*, inquit Benedictus XIV de Synod. Dioec. lib. IX cap. 1, *causae excitatae aut super validitate sponsalium, aut super jure instituendi divortium quoad thorum et cohabitationem ob illum respectum, quem habent ad matrimonii Sacramentum, ad solum judicem ecclesiasticum deferuntur; quod*

deducitur ex cap. **10.** *Ex litteris de sponsalibus, et ex cap. Porro de divortiis.*

Praeterea in hisce causis judicandis saepenumero occurrunt quaestiones, quae ad mores pertinent, et negligi nullo pacto debent: de his vero in foro civili nulla cognitio est, neque etiam esse potest. Ob hanc rationem Protestantes ipsi censuerunt, causas de sponsalibus et divortio a Consistoriis judicandas esse. Cujus rei locupletissimus testis est Boehmerus, scriptor inter eos valde celeber, qui Juris Ecclesiastici Protestantium tom. II tit. 2 §. **14** ita scribit: *Protestantes quamvis negent, matrimonium esse Sacramentum, aestimarunt tamen majores nostri, matrimoniales causas* AD CASUS CONSCIENTIAE *esse referendas, quorum cum non habeatur ratio in foro saeculari, merito easdem judicio ecclesiastico esse delegandas.* Et §. 25: *Adeo vero causae matrimoniales ad Consistoria nostra spectant, ut doctrina Juris Pontificii universa de hac materia recepta sit. Pertinent itaque ad Consistorium etiam causae* SPONSALIORUM, *si vel maxime sint de futuro, et quamvis hae rationem Sacramenti non habeant de Jure Pontificio, hoc ipsum tamen eas suo foro vindicavit, et ad ejus exemplum praxis Protestantium.* Et denique §. 27: *Similiter in causa adulterii, malitiosae desertionis, insidiarum vitae structarum, vel saevitiarum simplicium, quatenus* AD DIVORTIUM, *vel separationem quoad thorum et mensam agitur, cognitio est Consistorii.*

Tertium causarum matrimonialium genus causas mere civiles complectitnr, veluti de dotibus, de donationibus propter nuptias, de alimentis, de successione hereditaria, et id genus alias. De quibus nihil attinet dicere, nisi quod hujusmodi causae ad forum civile pertinent.

§. 65.

DE REBUS ET CAUSIS CONNEXIS SEU MIXTIS

Sunt res aliquae sive jura, quae quidem vere et proprie spiritualia non sunt, sed cum spiritualibus connectuntur. Hujus generis sunt *Beneficia Ecclesiastica*, sacra nempe ministeria, quae temporales redditus perpetuo adnexos habent; sic etiam Juspatronatus, Decimae, et reliquae res temporales, quae rebus spiritualibus adhaerent.

Hae res cum spiritualibus connexae vocari etiam solent *mixtae*, quia versantur circa rem temporalem, cum spirituali conjunctam, et propemodum admixtam; nonnulli tamen Canonistae eas contendunt res *mixtas* appellari debere, non quae spirituale aliquid cum temporali adjunctum habent, sed quae vel privilegio aut diuturna consuetudine utrique potestati ecclesiasticae et civili communes evaserunt, veluti delicta, quae mixti fori dicuntur, in quibus alterutri potestati licet priori loco negotium occupare. Verum quaestione de nomine praetermissa, quaerendum potius est cujusnam auctoritati et judicio res hujusmodi subjiciantur? Joan. Devoti in Prolegomenis in Jus Canonicum universum cap. XII §. 19: *Ut rectum*, inquit, *ferri possit judicium, ac justi ponantur fines ecclesiasticae et civilis potestatis, illud mihi*

in primis observandum videtur, cujus auctoritate et legibus ea res, de qua quaeritur, constituta sit. Neque enim dubitare quis potest, quin is, qui rem aliquam constituit, legesque tulit, cum quibus eadem administraretur, omnem in ea jurisdictionem et auctoritatem habere debeat. Atqui ab Ecclesia instituta sunt beneficia, juspatronatus, decimae, jus funeris et sepulturae, jura multa et privilegia Episcoporum, jura Parochorum et cetera, quae aut spiritualia, aut spiritualibus annexa sunt, de iisque omnibus ab Ecclesia leges praescriptae sunt. Cuncta igitur ab ejus auctoritate pendere debent.

Ex quibus illud etiam manifestum est, causas omnes, quae de rebus temporalibus spirituali adnexis in judicio versantur, ad forum Ecclesiae pertinere; namque cognitio causae ad eum spectat, cujus jurisdictioni res, de qua agitur, subjecta est. Hinc Alexander III cap. 3 de judic.: *Causa,* inquit, *jurispatronatus ita conjuncta est et connexa spiritualibus causis, quod nonnisi ecclesiastico judicio valeat terminari.* Recte itaque scriptum est a Tannero tom. IV disp. 8 n. 166: *Causae spirituali adnexae ab Ecclesia noscendae et judicandae sunt, tum ex jure communi cap. 2 et 3 de foro competenti, et cap. 3 de judiciis, tum eo etiam, quod judex laicus jurisdictionis spiritualis plane incapax censeatur.* Namque *res temporalis desinit esse talis, cum fuerit annexa spirituali,* ut ait Pichler in Summa Jurisprud. sacr. univer. lib. 2 tit. 2 n. 44.

Quamquam vero causae spiritualibus adnexae ad judicem ecclesiasticum spectent, non solum si quaestio sit

proprietatis, seu juris quod dicunt *petitorium*, verum etiam si quaestio *possessionis* agitetur; similes tamen causae aliquibus in provinciis, si judicium proprietatis sit, ad ecclesiasticum quidem judicem remittuntur; sed in judicio possessionis apud forum civile tractari solent, quoties agitur de retinenda vel recuperanda possessione, non item si de adipiscenda quaestio sit.

Hac super re Covarruvias practic. quaest. cap. 37 conclusione prima animadvertit, *non posse laicum judicem secundum rigorem juris cognoscere de causa possessoria Beneficii ecclesiastici, cum ad justificandam possessionem in hoc casu sit necessaria quaedam summaria probatio alicujus tituli apparentis, nec aliter possit possessio obtineri*. Et iterum: *Opinor, judicem saecularem nec in interdicto adipiscendae, nec retinendae, nec recuperandae posse cognoscere de causa possessoria Beneficiorum ecclesiasticorum; maxime quia in hac specie non solet controversia contingere nisi inter Clericos; et ideo cum reus Clericus sit, ad judicem ecclesiasticum erit causa deferenda, perpensis juris utriusque principiis, et conclusionibus admodum receptis, licet causa possessoria nihil haberet mixtum proprietatis, nec esset in ea quid spirituale, imo tota esset omnino temporalis*. Et quamquam in ceteris causis non beneficialibus videatur in eam sententiam proclivis esse, secundum quam licet saeculari judici in causa possessionis judicare, ita ut in secunda conclusione asserat: *Quoties tractabitur de causa possessionis decimarum, jurispatronatus, juris praesentandi, juris eligendi, quia in hisce casibus non est ad possessorium jus necessaria*

proprietatis examinatio, judex saecularis erit competens, et coram eo poterit causa expediri, quia temporalis censetur; subdit tamen: *Verum si diligenter examinaverimus rationes et auctoritates, quibus haec secunda conclusio probari solet, plane manifestum fiet, non esse satis certam nec tutam, imo prorsus omni legum et canonum, quibus standum est, auxilio destitutam. Est enim regula Juris Pontificii, quae dictat, causas ecclesiasticas tractandas et examinandas fore apud judices ecclesiasticos, non apud saeculares, c. 2 de judic. Ecclesiasticas autem causas intelligo non de rebus temporalibus Ecclesiarum, sed de rebus spiritualibus Ecclesiarum, et de his, quae quasi spiritualia censentur, et constat, causam possessoriam etiam simplicem, et indistincte dici ecclesiasticam, ut probari et deduci poterit ex textu in Clement. unica de causa possess. et propriet., et in Clement. unica de sequest. possess. et fructuum, et ideo falsam esse censeo secundam conclusionem.* Verum de causis connexis cum spiritualibus late disserit Benedictus XIV de Synod. Dioec. lib. IX cap. 9, et Auctor Commentarii *de finibus utriusque potestatis.*

Quod vero ad causas criminales attinet, praeponendum est crimina dividi in *ecclesiastica, civilia,* et *mixta.* Ecclesiastica sunt, quae fidem aut Religionem directe laedunt, qualia sunt apostasia, haeresis, schisma, simonia, et hujus generis alia. Civilia sunt, quae directe laedunt rempublicam, uti homicidium, furtum, peculatus, et similia. Denique mixta sunt, quae Religioni et reipublicae nocent, veluti adulterium, concubinatus, sortilegia, et hujusmodi alia.

Causas de criminibus ecclesiasticis solus judex ecclesiasticus etiam contra laicos cognoscit et judicat; siquidem judicium est de re spirituali, seu de crimine, quod contra fidem, aut Religionem patratum est. Civilia crimina judex laicus contra laicos cognoscit, sontesque justis debitisque poenis coercet. Crimina mixta, tum Ecclesiae, tum civilis reipublicae judicio et coercitioni obnoxia sunt; ita tamen ut inter utrumque forum, si laicus fuerit reus, sit locus praeventioni, ut nimirum causa ab eo foro noscatur, quod alterum praevenit, sive primum actum judicialem exercuit.

Sunt tamen qui existimant, primum illud causarum genus, quod crimina ecclesiastica respicit, inter causas *mixtas* recensendum esse; ideo quod haeresis, schisma, et alia id genus crimina, non modo Ecclesiae, verum etiam reipublicae nocent: in eaque sententia fuisse videtur Natalis Alexander, dum Hist. Eccl. saec. IV cap. 2 scripsit, *causas mixtas esse, cum non Ecclesiae solum, sed reipublicae pax et tranquillitas in discrimen vocatur.* Jam vero si hujusmodi causae vocentur mixtae *ratione effectus,* quatenus ecclesiasticam, et civilem societatem offendunt, ita ut tum Ecclesiae, tum reipublicae vehementer intersit communi saluti prospicere, non quidem repugnabimus, imo etiam fatebimur, ad ea crimina coercenda nihil esse aptius et efficacius conspiratione et concordia utriusque societatis. Si vero mixtae dicantur *ratione competentiae,* ita scilicet ut competat non modo Ecclesiae, sed etiam civili potestati de iisdem causis cognoscere et decernere, nullo pacto possumus consentire; namque

agitur de causis spiritualibus, quarum cognitio et judicium, ut supra ostendimus, ad unam Ecclesiam pertinet.

De causis criminalibus ecclesiasticis, et mixtis confer citatum Commentarium *de finibus utriusque potestatis,* Alteserram in quarto et sexto *Vindiciarum* libro, et Horatium Martam *de Jurisdictione per et inter Judicem Ecclesiasticum et saecularem exercenda.*

§. 66.

DE APPELLATIONE AB ABUSU

Qui putant Curiam Episcopalem, aut Judicem ecclesiasticum sua potestate in aliqua ferenda sententia abusum esse, ii solent in aliquibus regionibus ad Principem laicum, sive ejus Curiam appellare; quae, *appellatio ab abusu* nuncupatur. Quaeritur itaque, an hujusmodi appellatio valeat, et liceat? Qua de re aliqua dicenda sunt.

Jam vero judex ecclesiasticus sua potestate abuti potest, vel injustam sententiam pronunciando, vel judicialem ordinem non servando. Si appellatio fiat ratione injustitiae, vocatur *appellatio simplex* et *mera*; si autem appellatio ob non servatum judiciorum ordinem interponatur, *appellatio tamquam ab abusu* nominatur. Inter utramque appellationem illud intercedit, quod in priori appellatione Princeps sive judex laicus de re ecclesiastica cognoscit et judicat, an scilicet sententia cum sacris canonibus congruat, nec ne: in appellatione vero tamquam ab abusu non de

jure, sed de facto cognoscit, utrum ex. gr. ecclesiasticus judex legitimos testes, et ipsos litigantes audierit, an sufficientem defensioni locum dederit, an denique alia in re, quae ad judiciorum ordinem pertineat, potestate sua abusus sit.

Communis vero est Canonistarum sententia, meram et simplicem appellationem in qualibet causa spirituali et ecclesiastica illicitam et nullam esse, cum earum rerum cognitio ad solam Ecclesiam pertineat. Petrus de Marca lib. IV cap. 19 §. 5 de Concordia Sacerdotii et Imperii haec habet: *Simplicem et meram appellationem a Curia ecclesiastica ad Curiam regiam in Gallia nunquam admissam fuisse fatentur Petrus de Cugneris art.* 14, *Masuerius tit. de appellat.* §. 22, *et Joannes Galli quaest.* 161. Et Joannes Petrus Gibert potestati laicae admodum addictus prima part. Prolegom. ad Jus Canonicum tit. 8 sect. 3 : *Magistratus,* ait, *usurparent auctoritatem, quae sibi non competit, si appellationes tamquam ab abusu admitterent, cum sententia non est evidenter contraria legibus Ecclesiae, quia in hoc casu agitur de interpretatione canonum, quae non competit Principi: legis interpretatio pendet ab eo, qui ejus ferendae auctoritatem habet.*

Quaestio igitur in eo vertitur, an appellationes tamquam ab abusu proprie dictae, in quibus nempe appellans de violato ordine judiciali conqueritur, licitae rataeque habendae sint? Hujusmodi vero appellationum patroni tribus argumentis utuntur. Primum est, inter christiani Principis officia illud esse praecipuum, quod curam et defensionem

Ecclesiae sacrorumque canonum respicit; ideoque Principem non modo posse, sed etiam curare debere, ne contra canones et recepta Ecclesiae jura quidquam perpetretur, et si quid hujusmodi a judice ecclesiastico commissum fuerit, propulsare et emendare. Alterum argumentum est, summis Principibus jus potestatemque esse, eos omnes, qui in ipsorum ditione sunt, a vi et oppressione defendere; et idcirco si judex ecclesiasticus injuriam inferat, fas erit et oppresso ad Principem confugere, et Principi appellationem recipere. Tertium denique argumentum sumitur ex can. *Nos si incompetenter* caus. 2 q. 7 c. 41, quo Leo IV Ludovico Imperatori sic scribit: *Nos si incompetenter aliquid egimus, et subditis justae legis tramitem non conservavimus, vestro, ac missorum vestrorum volumus emendari judicio.*

Verum quod ad primum attinet, Princeps saecularis, si custos est et executor canonum, omnino debet eorumdem canonum regulas sequi, suaque auctoritate tueri, et propterea *quando etiam judices ecclesiastici in canones peccarent, cum ipsi canones mandaverint, Superiorem esse adeundum qui illatas injurias corrigat, si Principes velint esse canonum custodes et executores, in hoc incumbere debent, ut qui de inferioribus judicibus jure queruntur, ad superiores Ecclesiae judices confugiant:* quod praeclare dictum est a Roncaglia in dissert. 21 Nat. Alexandri Hist. Eccl. saec. IV §. 2.

Ex quibus in promptu responsio est ad secundum argumentum; siquidem qui vim passus est, poterit a sententia judicis inferioris ad superiorem judicem ecclesia-

sticum appellare. Sed ajunt, si judex superior aut nolit, aut, quod facilius evenire potest, injuriam ab inferiori judice illatam comprimere nequeat, nonne licebit Magistratus laici praesidium quaerere? Id quidem necessariae defensionis jure aliquando licebit; qua de re legendae sunt animadversiones ejusdem Roncaglia in cap. 2 Synopsis Hist. Eccl. IV saecul. Natalis Alexandri §. 3.

Quod denique spectat ad canonem *Incompetenter*, is falso tribuitur Leoni IV, probabilius videtur Leoni III adscribendus. Quare ignotus est ejus canonis auctor, neque etiam comperta res est, de qua agebatur, an scilicet ecclesiastica fuerit, an civilis. Nihil ergo concludi ex eo poterit.

Antonius Faber lib. VII in Cod. tit. 28 def. 8 num. 3 observat, *hunc appellationum usum plerumque magnas inter utriusque jurisdictionis Magistratus rixas, interdum etiam tragoedias excitasse, non sine magno totius Reipublicae christianae et scandalo et detrimento: quam ob causam fuisse hanc appellandi speciem antiquis omnibus jurisconsultis incognitam.* Quare audiendus est Ivo Carnotensis ep. 159: *Si qui*, ait, *aliquando se praegravatos ipsius Ecclesiae auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium.*

§. 67.

DE BONIS ECCLESIAE

Ante Constantinum M. Ecclesiae bona fuerunt plerumque res mobiles ex fidelium spontaneis largitionibus comparatae. Profecto res immobiles, persecutione saeviente,

perpetuis direptionibus patuissent; nam celari non poterant, aut alio asportari. Atqui tamen Ecclesia per illud temporis spatium bonis stabilibus non penitus caruit: siquidem Alexandro Severo Imperatore, *cum christiani*, ut scribit Lampridius inter Script. hist. August. pag. 131 edit. Paris., *quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, Imperator rescripsit, melius esse ut quomodocumque ibi Deus colatur, quam popinariis dedatur.* Et Thomassinus de nov. et vet. Eccl. discipl. part. 3 lib. 1 cap. 3: *Cum*, inquit, *Paulus Samosatenus morem gerere detrectaret decreto Concilii Antiochiae adversus eum congregati, nec* DOMO ECCLESIAE *excedere vellet, jussit Aurelianus Imperator illi eam addici, ad quem* EPISCOPI ITALIAE *et* ROMANUS PRAESUL *rescripsissent. Fateamur ergo necesse est fidelium pietate et largitione Ecclesiae dono datas esse terras, domos, haereditates ante etiam quam habenas Imperii christiani Principes tractare incoepissent, eorumque fundorum Episcopos usumfructum et administrationem habuisse penes se, ut eos tuerentur etiam judicio et ope Principum nondum christiano nomine et mysterio initiatorum.*

Praeterea nemini dubium esse potest, quin ante Constantinum domos, agros et hortos Ecclesia possederit, cum haec omnia eidem restitui Imperator jusserit. *Fiscus adversus SS. Ecclesias nihil obloqui ausus, ea quae aliquando injuste detinuit, Ecclesiis juste restituat. Omnia ergo, quae ad Ecclesias visa fuerint pertinere, sive domus possessio sit, sive agri, sive horti, seu quaecumque*

alia nullo jure, quod ad dominium attinet, imminuto, sed omnibus integris manentibus, restitui jubemus, ut est apud Eusebium lib. 2 de vita Constantini cap. 39. Lege quoque lata potestatem omnibus fecit ex bonis suis quidquid vellet Ecclesiis testamento relinquendi. *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo, catholico, venerabilique Concilio decedens bonorum quod optaverit relinquere. Non sint cassa judicia ejus; nihil est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, postquam aliud jam velle non possunt, liber sit stylus, et licitum, quod iterum non redit, arbitrium*, leg. *habeat unusquisque* C. de SS. Ecclesiis. Denique ex aliorum Imperatorum legibus libera cuique potestas tributa est vel testamento, vel actibus inter vivos quaecumque bona in Ecclesiam transferendi l. 19 Cod. de SS. Eccl., et passim eod. tit.

Ex quibus legibus paulatim crevit Ecclesiae patrimonium, deinde etiam magna praediorum bonorumque copia auctum est, tum quia ex leg. 20 Cod. de Episc. si Clerici vel Monachi intestati nullis legitimis haeredibus relictis decessissent, eorum bona Ecclesiae vel monasterio, cui addicti erant, devolvebantur, tum quia ipsorum plerique dum se Altari vel monasterio dedicabant, bona sua vel eorum partem in Ecclesias vel monasteria transferebant, tum quia omne id, quod Monachi acquirerent, monasterio acquirebant. Ad haec omnia piae summorum Principum et christianae gentis largitiones accesserunt. Sed Ecclesiae acquisitiones uberiores factae sunt ex utentium parsimonia et provida administratione, et potissimum

ex laboriosa soli cultura maximum incrementum acceperunt.

§. 68.

DE JURE ACQUIRENDI ET POSSIDENDI

Ea quae diximus ad factum pertinent; nunc de jure videndum est. Quaeritur itaque: undenam Ecclesia jus habet bona stabilia et frugifera acquirendi et possidendi? Respondere non dubitamus: *ex divina institutione.* Namque Christus in Dei cultum et animarum salutem Ecclesiam instituit, et quoniam perpetuam esse voluit, minime dubitare licet, quin eam quoque voluerit iis omnibus potiri, quae forent ad finem consequendum necessaria. Atqui ad Dei cultum et salutem animarum aedificanda sunt templa et altaria, comparanda ornamenta et vasa sacra, aliaque ad divinum cultum spectantia, alendi sunt Episcopi, Presbyteri et Ministri, qui Ecclesiae serviant, et toto animo atque opera in aeternam salutem hominum curandam incumbant, Clerici in litteris et disciplina ecclesiastica instituendi, et cetera ejus generis procuranda; quae quidem omnia sine magnis sumptibus fieri non possunt. Igitur Ecclesia ex sua institutione et divini Fundatoris voluntate jus habet sive pecunias, sive bona stabilia et frugifera sibi comparandi, acquirendi et possidendi, ut quae ad faciendos sumptus necessaria sunt, ea in promptu habeat. Quapropter ante Constantinum M. sanctissimi Ecclesiae Antistites et Patres non dubitarunt domos, agros, et hortos nomine ipsius Ecclesiae recipere et possidere, licet tunc temporis Ecclesia, eo quod tam-

quam collegium *illicitum* habebatur, jure civili vetaretur arcam retinere, eoque minus res soli possidere, l. 1 ff. *Quod cujusq. universit. nomin.* Apostolus Paulus I ad Cor. IX v. 11 jam scripserat: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Et v. 14: *Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

Confer Monetam *contra Catharos et Waldenses,* Commentarium *de finibus utriusque potestatis,* Mamacchii Opus italice scriptum *de libero Ecclesiae jure acquirendi et possidendi.*

Hoc loco de lege *Amortizationis* disserendum esset, sed pauca notare sufficiat. Hujusmodi lege, quam *manuum mortuarum* vocant, translationes bonorum in Ecclesiam aliaque Loca Pia sine litteris *amortizationis,* id est, sine consensu laicae potestatis, nullae et irritae declarantur.

P. Maurus de Schenkl in suis Institutionibus Juris ecclesiastici §. 410 asserit, praeter quaedam exempla, *alias esse rationes multas, quae leges amortizationis in certis adjunctis justas esse posse persuadent.* Rationes autem, quas ipse affert, tres praecipue sunt: 1.° *quia haec Principis lex non circa bona Ecclesiae, sed circa bona civilia versatur:* 2.° *quia cum Ecclesia semel acquisita alienari vetet ob utilitatem Ecclesiae, cur simile quid Principi, servato recto ordine, non liceat ob bonum reipublicae?* 3.° *quia per hanc legem Ecclesiastici et Ecclesia non privantur jure acquisito, sed acquirendo, et quidem jure acquirendi bona solum iis haud necessaria, privantur autem eo jure boni publici causa.*

Verum non difficile opus videtur hujusmodi rationibus respondere. Enimvero quod ad primum argumentum pertinet, lex amortizationis quamvis verbo tenus in laicorum bona feratur, re tamen vera in detrimentum Ecclesiae vertitur. Vetantur enim laici bona sua in Ecclesiam transferre non propter laicos ipsos, sed propter Ecclesiam, ne scilicet Ecclesia rebus et fortunis augeatur. Huc faciunt verba legis 77 §. Donationis ff. de Legatis 2: *Non quaeri oportet cum quo quis loquatur, sed in quem voluntatis intentio dirigatur.* Cum itaque lex verbis quidem in laicos concepta sit, ejus tamen intentio et vis omnis in Ecclesiam feratur, manifestum est Ecclesiae libertati ejusque juribus adversari.

Ad alterum argumentum respondemus, inter legem amortizationis et legem de non alienandis Ecclesiae bonis maximum discrimen esse. Lex enim amortizationis privatos vetat in Ecclesias et Loca Pia ullam bonorum suorum partem transferre: proinde privati possunt res omnes, quarum dominium habent, alienare, donare, testamento relinquere, atque etiam, prout iis libuerit, consumere et disperdere, dummodo ne in Ecclesias et Loca Pia quidquam omnino conferant. Contra vero per legem de non alienandis Ecclesiae bonis non vetantur Clerici bona patrimonialia alienare, quorum liberum dominium et administrationem retinent, sed vetantur Ecclesiarum bona alienare, quorum ipsi nec dominium, nec proprietatem ullam habent.

Praeterea alienationem bonorum Ecclesiae non modo sacri canones, sed civiles quoque leges prohibuerunt.

Namque a Leone Imperatore per suam constitutionem leg. 14 Cod. de SS. Ecclesiis sancitum est, *ea quae ad beatissimae Ecclesiae jura pertinent, vel posthac forte pertinuerint, tamquam ipsam sacrosanctam et religiosam Ecclesiam, intacta convenit venerabiliter custodiri, et sicut ipsa Religionis et fidei mater perpetua est, ita ejus patrimonium jugiter servetur illaesum.* Imperatores etiam Anastasius leg. 17 Cod. de SS. Eccles., et Justinianus novel. 7 et 120 eamdem legem ubique locorum ratam firmam haberi voluerunt. Quin imo aliqui Canonistae putant, ex ipso naturali jure et divino nefas esse ecclesiastica bona alienare. Joannes Gaspar Barthel in *Opusculis juridicis* tom. II opusc. 8 art. 1 *de rebus Ecclesiae non alienandis* hanc quaestionem instituit: *An non alienatio jure quoque divino et naturali Praelatis Ecclesiae sit prohibita?* Et respondet: *Et quidem jure divino inducta videtur hujusmodi prohibitio. Nam rerum Deo oblatarum alienationem et distractionem a Jure Mosaico prohibitam fuisse constat in Levit. c. XXVII ibi:* OMNE QUOD DEO CONSECRATUM FUERIT, SIVE HOMO, SIVE ANIMAL, SIVE AGER NON VENIET, NEC REDIMI POTERIT. *Sed quaestio haec sequenti distinctione melius solidiusque resolvitur. Alienationem videlicet rei ecclesiasticae sine justa causa factam hodie adhucdum jure divino imo naturali prohibitam esse; alienationem vero, quae fit cum legitima causa, sed non servatis solemnitatibus, de jure tantum humano prohiberi. Prior pars conclusionis patet ex regula: quod omne praeceptum a Deo datum in lege veteri pertinens ad jus naturale, perseveret quoque de*

jure divino in lege nova, ut patet in praeceptis Decalogi; alienatio autem bonorum Ecclesiae primo modo sumpta procul dubio contra jus naturale videtur esse; nam cum ista bona Ecclesiae tamquam ad pios usus unice collata, et hoc sensu patrimonium Christi sub sola Praelatorum fideli custodia existant, ideo ea alienare sine justa causa, esset ea dilapidare et injuste alienare rem alienam, quod juri naturali utique adversatur, ac propterea RAPTORES *alienantes dicuntur can.* OMNES ECCL. RAPTORES *caus.* 17 *q.* 4. *Unde quis dubitet eosdem peccare contra legem divinam?*

Itaque argumentum, quod a lege de bonis Ecclesiae non alienandis ad tuendam amortizazionis legem adhibetur, nihil probat: utriusque enim legis dispar conditio est ex dispari fine et natura rerum; in argumentis vero a pari oportet omnia esse paria.

Illud tertio loco objicitur, legem amortizationis publici boni causa latam esse, ne per ingentes Ecclesiae divitias respublica detrimentum caperet; idque propterea ex legitima causa factum esse, quia optimi Principis est utilitatem publicam tueri.

At aliquibus Canonistis ea lex videtur in falsa praesumptione fundari: ii namque existimant tantum abesse, ut bona in Ecclesiam et Loca Pia translata reipublicae noceant, ut etiam maxime prosint. In hoc argumento late versatus est P. Antonius Desing integro libro, cujus inscriptio est « *Opes Sacerdotii num reipubliae noxiae* », ubi rationibus et factis demonstrat quot et quantas ex iis opibus utilitates imperium civile perceperit, ut denique con-

cludat, legem amortizationis non valere, eo quod lex fundata in falsa praesumptione facti minime subsistit.

Alii vero Auctores alias rationes afferunt, cur lex amortizationis tamquam irrita et illicita habenda sit. Facile concedunt imperio civili jus potestatemque esse ea omnia removere, quae utilitati publicae obstare videantur, dummodo tamen res juste et legitime agatur: non enim quod videtur ad bonum publicum pertinere, id confestim fieri potest; nihil imo fieri potest, quod sit injustum. Atqui ajunt eam legem, qua omnes et singuli cives vetantur aliquid bonorum suorum Ecclesiis Locisque Piis religionis et pietatis causa donare, non modo alienam ab ea moderatione, qua in imperando adhibenda est, sed etiam injustam esse, tum habita ratione civium, quibus suarum rerum in pias causas trasferendarum libera potestas adimitur, tum certe habita ratione Ecclesiae, cui impedimento est, quominus jure acquirendi et possidendi frui possit, quod quidem jus apertissime ad eam pertinere jam demonstravimus.

Id insuper est Ecclesiae libertati immunitatique contrarium. Pirrhing in quinque libros Decretalium ad tit. *de Constitutionibus* sect. 2 §. 2: *Illa,* inquit, *sunt contra libertatem Ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum per quae non tantum violantur privilegia ipsis concessa jure communi positivo, sive canonico, sive civili, sed etiam, imo multo magis, per quae auferuntur Ecclesiis et ecclesiasticis personis jura, quae ipsis jure divino, seu naturali et gentium competunt, sive ea, quae ipsis communia sunt cum aliis membris reipublicae etiam laicis.*

Sed per talem legem (amortizationis) *vel statutum hoc fit; ergo per illud derogatur libertati Ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum etiam naturali, sive quae jure naturali et gentium ipsis competit.* Quod quidem argumentum multis exquisitisque rationibus confirmat citato loco.

Itaque P. Vitus Pichler in Summa jurisprudentiae sacrae universae tit. 11 de constitut. num. 35: *Ab auctoribus*, inquit, *tamquam leges Ecclesiae injuriosae et irritae reprobantur, quae prohibent subditis, ne bona immobilia vendant, donent, aut alio modo alienent in Ecclesias et ecclesiasticas personas; ita Doctores in cap. final. de Immunit. Eccl. in* 6; *et praeter alios Augustinus Michel in Theolog. Canon. Moral. appendice* 2 *tom.* 1 *de legibus amortizationis, ubi ait: « Si dicas rationem publicam efflagitare tales leges, ne scilicet exhauriatur territorium, et nervus fere omnis transferatur ad manus mortuas Religiosorum et Clericorum, repono viam omnibus apertam ad Summum Pontificem, qui re ad se delata, et justitia causae cognita, facile consentiat in talem legem vel statutum, si subsit justa causa ».*

In eam Augustini Michel sententiam Philippus Friderich in dissertatione *De eo quod justum est circa amortizationem* ita scribit: *Ut palam fiat, non esse cur merito Pontificis circa causas ecclesiasticas judicium detrectent adversarii, pauca delibo ex Thomassino. S. Pius V ad necessitatem regni Gallici concessit Carolo IX alienare fundos ecclesiasticos ad quindecim mille libras reditu annuo assurgentes. Gregorius XIII consensit in distrahenda praedia ecclesiastica decies centena millia li-*

brarum aequantia. Henrico III Sixtus V permisit venditionem fundorum ecclesiasticorum ad centum mille philippaeos reditus annui, licet Clerus jam eo anno contulisset auri decies centena millia et amplius. Quid Ecclesiae et Ecclesiastici ad utilitatem reipublicae praestiterint subsidii his nostris temporibus per dona gratuita tum in Gallia et Hispania, tum in Austria et Italia, extant illustriora documenta, quam ut adversarii lamentari possint, onera reipublicae solis incumbere laicis. Neque negabit Pontifex, premente reipublicae necessitate, ea praesidia e bonis Ecclesiae inferioris, quae contulit e gazophylacio Ecclesiae Romanae. Refert Auctor Theatri Europaei ad annum 1683 7 Aug. Innocentium XI Imperatori submisisse ter centum mille coronatos, addita amplissima facultate ex ipsis templis vasa sacra et cimelia ad usum belli Turcici in monetas conflandi.

Vide etiam Joannis Philippi Hahan dissertationem ,, *De eo quod justum est circa bonorum immobilium ad manus mortuas translationem* ,, et La Croix Theol. Moral. l. 4. n. 1390, a quibus designantur auctores, qui in utramque sententiam scripserunt.

§. 69.

DE BONIS ACQUISITIS

Quae hactenus dicta sunt, ea pertinent ad bona acquirenda; reliquum est, ut de bonis ab Ecclesia jam acquisitis aliquid dicamus. Jam vero nemo sane dubitare potest, quin Ecclesia et Loca Pia suarum rerum dominium habeant. Qui enim eisdem sua bona tradiderunt, ii quidem transferendi dominii jus habebant; et illud in eos transtulerunt, qui acquisitionis et dominii capaces erant. Valida ergo et legitima fuit eorum bonorum traditio et possessio, ideoque dominium et proprietas in Ecclesias et Loca Pia

transivit. Ex quo consequitur, eadem bona pleno jure ad solam Ecclesiam pertinere, eaque imperio civili nulla ratione obnoxia esse.

At dices: num igitur Ecclesiae bona a dominio eminenti immunia sunt? *Dominium eminens*, ait Grotius de jure belli et pacis lib. 1 §. 6, *est facultas eminens, quae superior est jure vulgari, utpote communitati competens in partes et res partium boni communis causa.* Quae vero sint illae partes et res partium ita explicat eod. lib. cap. 3 §. 6: *Dominium eminens, quod civitas habet in cives et res civium ad usum publicum.* Quamquam vero, ut ait Soto de just. et jur. lib. 4 q. 4. art. 1 concl. 1, *facultatibus subditorum Princeps uti possit, quando eidem reipublicae tuendae et administrandae necesse fuerit*, ii tamen, ex quorum bonis et facultatibus publicae necessitati subventum est, non plus sustinere oneris debent quam ceteri, sed damnum, quod passi sunt, *ex publico*, ut ajunt, resarciendum est. *Hoc quoque sciendum est*, ait Grotius de jur. belli ac pacis l. 2 cap. 14 §. 7, *posse subditis jus etiam quaesitum auferri ex vi superemintis dominii, sed ut fiat ex vi supereminentis dominii primum requiritur utilitas publica, deinde ut, si fieri potest, compensatio fiat ei, qui suum amisit, ex communi;* et lib. 3 cap. 2 §, 7: *Addendum est, id cum fit, Civitatem teneri his qui suum amittunt, sarcire damnum de publico.* Itaque Coccejus copiosus et diligens interpres Grotii in cap. 3 lib. 1 ait: *Duo necessario Auctor requirit:* 1.° *utilitatem publicam:* 2.° *ut si uni jus auferatur, reparatio fiat ex publico.* Hanc Hugonis

Grotii doctrinam Doctores Juris politici ad unum omnes sequuti sunt.

His positis de bonorum ecclesiasticorum immunitate et libertate ab eminenti dominio quaestionem praetermittimus, cum palam facturi simus eas esse sacrorum canonum praescriptiones, ut civilis societas in publicis necessitatibus plus utilitatis ex bonis Ecclesiae capiat, quam ex tali eminenti dominio latura esset.

Qua super re in primis animadverto, Episcopos et Coenobia nunquam destitisse ad sublevanda regnorum calamitates magnas largitiones facere; quod multis exemplis demonstrat Thomassinus vet. et nov. Eccl. discipl. part. 3 l. 1 cap. 28, et seqq. De hisce largitionibus Constantinus Roncaglia in nota ad cap. VII art. 7 historiae eccl. Natalis Alexandri saec. XIII, et XIV haec habet: *Hujusmodi largitiones velut jure naturae dictante fiebant, cum gratitudinis virtus exposcat, eos donis affici, qui Ecclesias nedum extruxerunt, sed et locupletarunt; cum, ubi de communi damno avertendo agitur, communibus viribus propulsandum videatur, et cum ad avertendam ipsarum Ecclesiarum ruinam multum conducat laicos his largitionibus promereri: sunt enim multoties velut semina uberem segetem reddentia.*

At vero duo canones a duobus Conciliis generalibus, canon scilicet decimus nonus a Concilio Lateranensi III, et canon quadragesimus sextus a Concilio Lateranensi IV ea de re conditi fuerunt, *ne etenim,* ait Roncaglia loco citato *sub donariorum nomine gravissimae invalescerent exactiones, eo magis quod Principum preces mandati vim*

obtinent, ideo rebus Ecclesiae Concilia suis decretis consulere non destitere. Concilium Lateranense III indulsit, quod ubi laicorum opes impares essent pro publicis necessitatibus amovendis, id, judicantibus Episcopis et Clero, quod necesse esset ex proventibus Ecclesiae tribueretur. Concilium Lateranense IV etiam Papae consensum expectandum sancivit; et Concilium Constantiense una Episcopi, Cleri, ac Pontificis consensum ad aliquid Principibus de rebus Ecclesiae tribuendum voluit intervenire. Neque vero est, cur imperium civile pigeat hujusmodi consensum postulare; non etenim Ecclesiae bona vi et hostilem in modum invadenda sunt, sed opus est consensu et auctoritate Ecclesiarum, et praesertim illius, qui his rebus praeest, quique reipublicae calamitatibus et saepe opem tulit, et, cum opus est, ferre non renuit. Ipsa naturalis ratio suadet, nemini fas esse in rem alienam etiam sibi debitam contra domini voluntatem, vel eo inconsulto invadere: primo enim res petenda est, ne sacra dominii jura violentur. *Est*, ut ait Puffendorfius Jur. Nat. et Gent. l. 2 cap. 6 §. 5 *ea dominii vis, ut dominus res suas ipse possit dispensare, etiam ad quas alteri tradendas obligatur. Ex quo consequitur, quod res ab altero sibi debitas non statim ipse quis involare queat, sed dominum, ut sibi eas tradat, poscere debeat.*

Verum ut eo, unde digressi sumus, revertamur, sacris canonibus sancitum est, societati civili, quam vera necessitas premit, opem auxiliumque ex bonis Ecclesiae ferendum esse, atque id semper ab Ecclesia factum fuisse, monumentis historiae comprobatur. At vero Ecclesiae subsidia

non modo *voluntaria*, sed etiam *gratuita* sunt. Dum imperium civile eminenti dominio utitur, ex communi Doctòrum sententia tenetur id quod acceptum est compensare. Sed Ecclesia nullam vel levissimam compensationem postulat; ea siquidem de re nihil in sacris canonibus praescriptum legimus. Quid igitur amplius fieri ab Ecclesia poterat?

Atque haec de bonis Ecclesiae satis dicta sint, et concludimus his S. Ambrosii verbis de offic. ministror. lib. 2 c. 28: *Hoc maximum incentivum misericordiae, ut compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantum possumus, juvemus, et plus interdum quam possumus. Melius est enim pro misericordia causas praestare vel invidiam perpeti, quam praetendere inclementiam, ut nos aliquando in invidiam incidimus, quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus. Aurum Ecclesia habet non ut servet, sed ut eroget et subveniat in necessitatibus.*

Et hic Institutionibus Juris Publici Ecclesiastici finem facimus parati quemcumque errorem, in quem lapsi simus, corrigere.

HOC VERO OPUS QUALECUMQUE SIT

BEATISSIMAE VIRGINI MARIAE

AB ANGELO SALUTATAE

DAMUS DONAMUS DICAMUS

JURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

PROOEMIUM



LIBER I.

DE STATU ECCLESIAE

CAPUT I.

LIBER II.

DE RECTORIBUS ECCLESIAE EORUMQUE JURIBUS ET OFFICIIS

CAPUT I.

DE ROMANO PONTIFICE EJUSQUE ADJUTORIBUS

CAPUT II.

DE EPISCOPIS EORUMQUE JURIBUS ET OFFICIIS

LIBER III.

DE PERSONIS ET REBUS ECCLESIASTICAE POTESTATI SUBJECTIS

CAPUT I.

CAPUT II.

INDEX
RERUM PRAECIPUARUM
IN JURE PUBLICO ECCLESIASTICO



NUMERUS INDICAT PAGINAM

A.

B.

C.

D.

E.

L.


M.

N.

O.

P.

FINIS




UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 11 03 07 004 8